Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

François Pomey

Pantheum Mythicum, Seu Fabulosa Deorum Historia : Hoc Primo Epitomes Eruditionis Volumine Breviter dilucidéque comprehensa

Editio Novissima, prioribus correctior, variisque æneis figuris ornata, Francofurti: [Nürnberg]: Apud Andream Ottonem, M.DCCI.

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0001
DFG

~~II. 4514.~~
~~I. 3869.~~

II. K. 10.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0002
DFG

I 5809.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0005
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1048272257/phys_0006
DFG

PANTHEUM MYTHICUM,

SEU

FABULOSA

DEORUM HISTORIA,

HOC PRIMO EPITOMES

ERUDITIONIS VOLUMINE

Breviter dilucidéque comprehensa,

Auctore

P. FRANCISCO POMEY

è Societate JESU.

Editio Novissima, prioribus correctior, variisque æneis figuris ornata.

FRANCOFURTI,

Apud ANDREAM OTTONEM.

M. DCCI.

I 3809

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0007

DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0008
DFG

LECTORI,
ERUDITIONIS ÆMULO.

INGREDERE, quisquis es, *Benevole Lector*, qui ad hujus Libelli adstas vestibulum, ejusque fores curiosè pulsas. En; Aperio tibi, non istius modo voluminis ostium; sed quæ mea est in te propensio, interius consilii mei conclave, quod solis patere solet intimis. Intra, inquam, quando huc tua te abduxit, demisitque

humanitas, ut ad me tam benignè diverteres; & tantus hoſpes, tantillum ſubire dignareris hoſpitium. Quid faciam, tali beneficio provocatus, tibi ut, non verbo tenùs, quod plerique faciunt; ſed re, quod pauci, grates agam? Majus grati erga te animi argumentum præbere nequeo, quàm ſi te ex animo rogem, hiſce meis ut reculis, utâre tanquam tuis; tenuémque Doctrinæ ſupellectilem, quam hîc explicatam haud inordinatè reperies, tecum aſportes, ſi libuerit, univerſam: gratius certè mihi facere nihil potes. Ac jam ingreſſus, literatæ hujusce atrium domunculæ, rogas me, ut promiſſi memor, muſeolum pate-

patefaciam tibi meum, & quid in illo commenter, quisve studiorum sit Scopus, aperiam. Faciam libenter; ac primùm, ut de Scopo dicam, miror sanè, quî tibi venerit in mentem percunctari, quis ille sit. Perinde quasi, alius esse debeat, cùm omnibus, tum mihi maximè, ac studium & propagatio Divinæ gloriæ? Hanc unam specto videlicet, cum utilitate tua conjunctam; hanc vigiliæ meæ omnes & elucubrationes propositam habent; hùc acies ingenii, quantumvis obtusa, collineat; ad illam metam decurrit calamus; in hoc centrum, quascunque duco, lineæ confluunt; ad hanc denique Aram appendo exile

hoc Opuſculum , & quæcumque præterea molior in poſterum: Hoc enim alterum eſt , quod ſciſcitaris, de quo ingenuè, quod ſentio, proloquar. Opus molior , niſi mea me , ut ſua fermè quemque fallunt , haud inutile, atque , ut quam modeſtiſſimè dicam , non contemnendum. Nihil adjungam, ne velle videar, quod ferè fit, verbis facere pretium , rei per ſe pretioſæ. De Titulo, quem gerit , unum duntaxat ſubjicio. *Epitome* , ipſi Nomen eſt ; nec immeritò ſanè, meâ quidem ſententiâ: Quidquid enim ſexcentis ſparſum voluminibus , perplexum plerumque indigeſtúmque continetur ;

ſtylo

ſtylo, ſi minùs eleganti, nitido certè quidem perſpicuóque, paucis complectetur. Agnomen habet *Eruditionis*, non ex vano, ſi benè Philoſophor, cùm, is demùm Eruditus haberi ſoleat, qui vel eorum partem callet, quæ comprehendet hæc Epitome. Quid comprehendet autem? verbo dicam Theſauros omnes Antiquitatis venerandæ. Sumptuoſam nempè, inquis, pollicitationem iſtam tuam, planéque theſaurariam ac magnificam: ſic eſt, non deprimam tamen loquendi modum; Theſauros iterum, reſeraturum me tibi, in hac Epitome ſpondeo. Quid? Galbæ Imperatoris, exempli causâ, Nu-

miſma unum, materiâ vile, figurâ deforme, corroſum pulvere, exeſúmque annorum ſitu, Patritiis ingeniis, hâc ætate maximè pro Theſauro eſt, idcircò ſolùm, quia vetus eſt: Vetuſtatem verò ipſam, ipſos Mores veterum, & illuſtria quæque priſcorum monumenta temporum, è parietînis ſæculorum eruta, perpurgatáque, in lucem ſi produxero: Theſaurum non jure dicam, me protuliſſe? Atque ut cernas velut oculis, quàm haud vana ſint, quæ polliceor, attexo hîc, Rerum Indicem, quas ſeparatis, exiguisque voluminibus perſequar, olim inter ſe copulandis; vires modò det, otiáque nobis faciat Deus.

Pri-

Primum, quod nunc in manu habes,
De Diis est.
II. *De Sacerdotiis erit, & Sacrificiis.*
III. *De Comitiis, & Magistratibus.*
IV. *De Nuptiarum Ritibus.*
V. *De Re Bellica.*
VI. *De Ludis & Spectaculis.*
VII. *De Re Vestiaria.*
VIII. *De Mensis & Epulis.*
IX. *De Variis urbanæ vitæ officiis.*
X. *De Funeribus & Sepulchris.*

Porrò, quia Romanæ res, ut sunt ipsæ sæculorum omnium memoriâ illustrissimæ, cuivis suppeditant scribendi legendíque u-

uberrimam ſegetem, idcircò Romam in ipſam, hoſpitem induco, quem *Palæophilum*, hoc eſt, Antiquitatis ſtudioſum nomino, per celeberrima quæque loca, deducendum à *Myſtagogo*, (ita vocabantur olim, qui ducebant Hoſpites, & oſtendebant quæ viſenda eſſent) docendúmque de ſingulis, quæ cognitu maximè digna videbuntur. Non ſic tamen, in una hærebunt Urbe, quin ad alios ſubinde populos, ex occaſione ſint excurſuri.

Ad quid te diutiùs moror in limine, *Amice Lector*? Evolve paginam, primíque hujus Opuſculi recens nati, meorúmque Liberorum (Librorum dicere volui) natu maximi frontem contemplare; aut potiùs Myſtagôgum

gum ſequere noſtrum, ſi Palæophilus es, & Eruditionis amore raperis. Ducet te ille hodie ad *Pantheum Mythicum*; & de Diis, Deabusque omnibus, ea te docebit, in quorum ignoratione verſari non poteſt, ſine ſummo dedecore, qui liberalium diſciplinarum peritus audire vult, doctrinæque laudem prehenſat. Nec verò, te Fabulæ nomen deterreat; quaſi inane, nugatorium, inutiléque ſit negotium, Fabulis animum adjicere. Non ſunt hæ Fabulæ, anilia commenta, aut inſulſæ narrationes ſomniorum. Habent, & ab Scriptoribus clariſſimis, auctoritatem; & venerationem, à Vetuſtate, & ab Hiſtoria, cujus ingenioſæ umbræ ſunt, commendationem; & ſenſu, quem quaſi nucleo reconditum continent,

utili-

utilitatem maximam pari delectatione conditam. Verùm quid hederam appendo vino vendibili? Meis nolo verbis adhibeas fidem, sed oculis probes, an fucum fecerò. Proinde, legesis tantisper, ac semper, *Vale.*



DEO-

DEORUM ac DEARUM

Cœlum, Terram, Maria, Inferos, incolentium Nomina.

Dii Cœlestes.

Apollo 23
Aurora 111
Bacchus 46
Juno 68
Jupiter 9
Latona 104
Mars 61
Mercurius 41
Minerva seu Pallas 76
Sol 14
Venus 85

Dii Terrestres.

Æolus 133
Aristæus 167
Astræa 156
Ceres 144
Cybele 138
Diana 169
Fauni 165
Feronia 177
Flora 176
Janus 119
Momus 134
Musæ 151
Nemesis 156
Nymphæ 179
Pales 175
Pan 159
Pomona 177
Priapus 165
Saturnus 111
Satyri 164
Silenus 163
Silvanus 162
Terminus 168
Themis 156
Vesta 135
Vulcanus 126

Dii Marini.

Canopus 190
Glaucus 189
Ino ibid.
Neptunus 184
Nereus 189
Oceanus ibid.
Palæmon ibid.
Triton 188

Dii Inferi.

Charon 196
Furiæ 205
Mors 206
Nox ibid.
Parcæ 204
Pluto 198
Plutus 201
Proserpina ibid.
Somnus 206

OPU-

OPUSCULI PARTITIO.

Pars I. *De Diis Cœlestibus.*

II. *De Diis Terrestribus.*

III. *De Diis Marinis.*

IV. *De Diis Inferis.*

V. *De Diis Minoribus ac Miscellaneis.*

VI. *De Diis Adscriptitiis, seu Indigetibus.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0020
DFG

ACCESSUS AD PANTHEUM IDOLOLATRIÆ ORIGO.

PALÆOPHILUS. Quod illud ædificii genus est, in conspectu positum, tam inusitatæ figuræ? Rotundum enim esse puto, nisi loci distantia fallit oculos.

MYSTAGOGUS. Non te fallit. Locus est in paucis visendus, in hac Regina urbium, nobis omnium primus perlustrandus hodiè.

PAL. Quod ei nomen?

MYST. Pantheum Mythicum, hoc est, Templum Deorum omnium, quos Religiosa hominum fatuitas sibi finxit, per summam Veri, uniusque Numinis, vel ignorationem, vel contumeliam.

P. Quæ fingendi fuit occasio?

M. Quaternæ *a* præ multis aliis, assignari Causæ possunt; quibus quasi Columnis universa hujus Ædificii moles innititur.

Prima est *b*, Humanæ mentis stulta perversitas, quæ bonorum omnium inexhaustæ Origini

a Vid. Eusseb. Lactant. Clem. Alex. August. Plat. Cicer.

b Sap. 14.

ni denegavit, quod turbidis est elargita rivulis; *fodiens sibi*, ut queritur c Propheta sanctus *cisternas dissipatas* & lutulentas; neglecto ac *derelicto* purissimo *Fonte aquarum viventium*. Sic autem accidebat fermè. d Eminebat quispiam staturâ corporis, valebat animi magnitudine, e ingenii fulgebat claritate; Movebat ille sibi apud rudem plebeculam, primùm admirationem; quæ sensim in venerationem versa, cultum conciliabat humano majorem; ac demùm adscribebat hominem in Deorum numerum; prudentioribus, torrente vulgi opinione, vel abreptis, vel obluctari non valentibus, aut certè non audentibus.

c Jerem. 9.13.

d Diodor. lib. 17. Plutarch. in Lysandro.

e Val. Max. l. 8. c. ult. Cic. de rep. ap. Aug. 3. de civ. c. 15.

Altera, Deos comminiscendi causa fuit, vecors in Principes suos, Adulatio Subditorum. Illorum enim ut vanitati velificarentur, servirentque superbiæ, blandiùsque tumorem palparent; excitarunt aras, superque ipsas erectis in eorum memoriam simulacris, thuris odores, tanquam Diis adhibuere; f sæpè etiam tum, cùm adhuc essent in vivis.

f Athen. lib. 6. dipnosoph. cap. 6. de Demetrio Polyorcete.

Tertia, g fuit vesanus amor Immortalitatis, quam plerique mortalium, ab Imaginibus studebant accersere, rati nimirum, subducturos nomen suum edacitati temporis, mortisque rapacitati; si post fata viverent in ære; aut in marmore, in statuas animato, spirarent exanimes.

Sueton. in Julio c. 76 & 84.

g Pontan. l. 1. c. de Saturn.

Quarta, h Studium fuit præposterum perpetuandæ apud posteros, eorum memoriæ, à quibus esset in alios profectum singulare quodpiam beneficium. i Hos enim ut prosequerentur, grata æternáque recordatione, fecêre, aut potiùs finxere Deos.

h Thucydid. l. 7. Plutarch. Apopht. Lacon.

i Cic. 1. de nat. Deor. 1. Sap. 14.

PAL. Quis verò primus Fictor extitit, Assertorque fallorum Numinum?

MYST. k Ninus fertur, primus Assyriorum Rex; qui Belum, seu Nemrodum parentem suum

k Vid. Annal. Salian. a m. 2000

suum jam defunctum, ut immortalitate donaret, divinis affecit honoribus. Hier. in Ezech. & in O.

PA. Quandonam, aut quo pacto id contigisse perhibent?

MY. Dicam. Cùm Ninus ille, debellatis longè latéque multis gentibus, conditaque de nomine suo Ninive urbe, Belum patrem suum, Babylonis, regnique Babylonici fundatorem, in publico Babyloniorum conventu, vehementiùs, ut assolet, commendasset; atque eum, non solùm immortali apud posteros gloria, sed apud superos etiam, immortalitate dignum prædicasset; statuam ipsius affabrè eleganterque factam exhibuit, cui, quasi viventi deferretur honos: ad quam, si quis reus confugeret, abripi non posset ad pœnam, esset que miserorum commune perfugium. Ea res, mortuo, divinitatis opinionem facilè conciliavit; & sub titulo *Jovis*, vel ut aliis placet, *Saturni Babylonii*, Deus creatus est, eique Templum magnificentissimum, Babylone, à filio exœitatum, variisque sacrificiis dedicatum est. Id contigit anno Mundi bis millesimo, Noëmi verò vitæ penultimo: Indeque velut à pestilenti capite, contagione quadam manavit ad alias nationes, latissimeque proserpsit, sacrilega lues Idolorum.

PA. Quid? Belúmne veneratæ sunt cæteræ orbis nationes?

MY. Non Belum quidem omnes, sed inde facto Idololatriæ initio, effinxere sibi Deos aliæ alios. Nec mortales solùm, mortuosque homines; sed brutas animantes etiam, & quod magis mirere, res ipsas inanimes, vilissimasque ac turpes, reposuerunt in Deos. Constat enim Scriptorum authoritate innumerabilium, Africanis, Cœlum; Persis, Ignem, Aquam, & Ventos; Libyis, Solem ac Lunam; Thebanis, Ovem ac Mustelas; Babyloniis Memphis, Cetum; Mendesiis, Capram; Thessalis, Ciconias;

Syrophœnicibus, Columbas; Ægyptiis, Canem, Felem, Crocodilum, Accipitrem; imò, quod rideas, Porros, Cepas, & Allia, pro Diis fuisse; Quibus facetè Juvenalis sic occinit:

O sanctas Gentes, quibus hæc nascuntur in hortis Numina!

PAL. At certè, Romanæ hujus urbis veteres Incolæ, Civesque sapientissimi non impegerunt in hæc Deorum inanium simulacra tam turpiter, ut gentes illæ barbaræ; Quippe quas, non armis tantùm & humanitate; sed ingenii judiciique laude vicerunt.

MY. Erras, mi Hospes; nam & illas, in hoc genere, stoliditate superarunt.

P. Ais?

M. Aio sanè; Neque enim pecudes modò, resque sensus omnis expertes; verum etiam, quæ longè major insania est, Homicidas, Adulteros, Fures, Ebriosos, Latrones, aliasque id genus, hominum pestes, cœlo intulêre, & coluêre tanquam Deos.

P. Quot autem, qualesve Deos coluere Romani?

M. Quis recenseat? cum præter Patrios & Populares, nullus ad urbem Deus peregrinus accederet, quem non Civitate donarent. Ex quo factum est postea; ut cùm angustiora viderentur urbis Pomœria, tot Numinibus capiendis; necesse fuerit, ut hominum, ita Deorum, ducere per universum orbem colonias. At commodiùs jucundiusque mox cernes oculis, quæ cursim ex me audis; ubi subieris mecum hoc Pantheum; cujus limen attigimus. Ineamus.

IN-

INGRESSUS IN PANTHEUM DEORUM.

In Classes varias Distributio.

PALÆOPHILUS. Deus Immortalis! Quantam mortuorum turbam Deorum intueori siquidem Dii omnes isti fuere, quorum picta in his parietibus, fictaque simulacra conspicio.

MYSTAGOGUS. Quantulam partem aspicis? Neque enim urbis hujus quanta est, nedum istius Templi parietes sufficiant, vel Titulis illorum complectendis.

PA. Fueréne hi Dii, ejusdem omnes ordinis ac dignitatis?

MY. Nequaquam. Sed, sicut Populus Romanus, fuit in triplicem distributus ordinem, in *Patricios*, scilicet, *Equites*, ac *Plebeios*; itemque in *Nobiles*, *Nobos*, & *Ignobiles*; (*Nobi* diceban- Cic. pro tur, qui nobilitatem à majoribus non accepe- Mur. rant, sed suâ ipsi virtute fecerant.) Ita Populus hic Deorum, in tres veluti Classes dispartitus est.

Prima eorum est, qui *Majorum Gentium Dii* adpellati sunt; quòd scilicet major eis cultus, ob majores in mundo administrationes, à populis exhiberetur majoribus: Iidemque *Selecti* Senec. l. 2. dicuntur, quòd Cœlestes semper habiti, Insi- quæst. nat. gnes inter alios, & Eximii, præcipuæ authoritatis essent ac nominis. Ex his Selectis, duo- Lucian. decim erant, *Consentes*, quasi *Consentientes*, ap- Dial. de pellavi, quòd eos in maximis rebus agendis Deorum adhiberet in consilium Jupiter. Eorum Ima- concil. gines in Romano foro visebantur; suntque sex Plaut. in Mares totidemque Fœminæ, qui sine adjectione, Epidico.

Dii duodecim vulgò vocantur, & quorum Nomina hoc distícho complexus est Ennius:

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars.
Mercurius, Jupiter, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Dempster. paralip. ad c. 3. Lev. l. 1.

Alii non, *Jupiter*, sed *Jovis* legunt; & melius meo judicio; olim enim *Jovis* in nominativo dicebatur, elisa, metri ergò, ultimâ literâ. Hi duodecim Dii, præsidere credebantur, duodecim Mensibus, singuli singulis; Januario Juno, Februario Neptunus, Martio Minerva, Aprili Venus, Majo Apollo, Junio Mercurius, Julio Jupiter, Augusto Ceres, Septembri Vulcanus, Octobri Mars, Novembri Diana, Decembri Vesta: Itemque duodecim signis Cœlestibus; ut Manilius explicat. His autem duodecim Diis Consentibus, octo istos si addideris, Janum, Saturnum, Genium, Solem, Plutonem, Bacchum, Tellurem, Lunam, Selectos omnes habebis, omninò viginti.

L. 2. astronom.

Secunda Classis est illorum, qui dicuntur, *Dii minorum gentium*, minori fulgentes honore, quos sua merita, inquit Tullius, in cœlum vocarunt & Diis adscripserunt: unde *Adscriptitii* dicti, & *Minuscularii*, & *Putatitii* b, atque *Indigetes* c, sic nuncupati; quòd nullius rei *indigerent*, vel quòd *in Diis agerent*, in cœlum evecti, & ab hominibus in Deos relati; vel quòd certis quibusdam locis velut affixi, in iis degerent, eorumque præcipuam susciperent curam, & quasi demandatam sibi provinciam administrarent. Sic Æneas, *Jupiter Indiges* habitus est, de quo ab genitrice Venere expiato, & Deo facto, ita Ovidius:

2. de Nat.

a Varr. ap. Aug.
b Lucian. Dial. de Deor. conc.
c Serv. in 12. Æn.

Liv. l. 1.
14. Metam.

Lustratum Genitrix, divino corpus odore
Unxit, & ambrosiâ cum dulci nectare mixtâ
Con-

Contigit os, fecitque Deum, quem turba Quirini
Nuncupat Indigetem, temploque, arisque recepit.

Tertia fuit *a Minutorum*, seu *Vescorum* aut Miscellaneorum, locum obtinentium in Diis ultimum; *b Semones* vulgò dicti, quasi *Semihomines*, *c* (antiqui enim Hominem dicebant Hemonem) quos, nec cœlo adscriberent, ob meriti paupertatem; nec terrenos reputare vellent, propter gratiæ venerationem. *d Patellarios*; eos vocat Plautus *e*, à patellis, seu pateris, quibus veteres sacra Diis faciebant, *f* Nasone teste.

Fert missos Vestæ pura Patella cibos.

Iis adjungi possunt *Novensiles*, à Sabinis Romam deducti, Tatii Regis jussu; sic dicti, ut censent aliqui, quòd novissimi omnium, inter Deos munerati sint, Novitatum Præsides, quòd omnia novitate constent aut redintegrentur. Cincius putat, peregrina fuisse Numina subactarum urbium, quorum multitudo cùm ingens esset, ne quod fortè præteriretur, communi nomine, *Novensiles* Deos appellare placuit.

Ad hanc classem referri ultimam debent, Dii illi Deæque, propter quos, inquit Tullius, datus ascensus in cœlum; cujusmodi sunt Virtutes præcipuæ, de quibus suo loco singillatius.

a Horat. l. 3. carm.
b Ap. Guther. l. 1. c 4. de jur. man.
c Lipsl. l. 2. ant. lect. c. 18.
d Fulgent. placid. ad Chalcid.
e in Cistella.
f In fast. Liv. l. 8. Varr. de ling. lat.
Ap. Gyrald. synt.
Arnob. 3. adverss. Gent.
8. de Nat.

INSPECTIO PANTHEI.

Commodior Deorum divisio.

PALÆOPH. Omnem in partem oculos converto curiosiùs; nec tamen triplicem illam quam descripsisti modò, Deorum Classem deprehendo.

MYSTAG. Nempè, alia hîc, commodior-

que, Deorum divisio facta est, quam sequemur & nos, in hac collocutione, si annues.

PAL. Quidni annuerem voluptati maximè omnium fructuosæ, quam ex isto congressu sum collecturus?

MYST. Tres illæ Classes, quarum nunc memini, in senas, uti vides, distributæ sunt, diversis hujus Panthei adpictas partibus. Nam

I. COELESTES Deos ac Deas, in fornice suspicis.

II. TERRESTRES cernis, in dextro pariete.

III. MARINOS ac Fluviales, in sinistro.

IV. INFEROS, in hac inferiori regione, juxta Pavimentum.

V. MINUTOS, seu SEMONES, & MISCELLANEOS, à fronte.

VI. ADSCRIPTITIOS verò, seu INDIGETES, à tergo.

Hæ senæ partes erunt nostri colloquii; quarum singulæ tibi ob oculos ponent, quæcunque de hoc argumento, probos apud Auctores, maximè memoranda comperi; si loquacitatem meam tolerare poteris.

PAL. An jocans loqueris, qui te loquacem? Mihine accidere quidquam jucundius queat?

MYST. Consideamus ergò hîc tantisper, quando ita cupis: Et quoniam vacuus ab interventoribus, nunc locus est; lustremus per otium, universum hunc Deorum exercitum, inspiciamusque singulos, ducto, uti par est, à *Cœlestibus*, atque adeò, quod Poëta præcipit, à JOVE, principio.

Virg. Ecl. 3.

PANTHEI



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1048272257/phys_0029
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0030
DFG

PANTHEI MYTHICI PARS PRIMA,

DE

DIIS COELESTIBUS,

DII COELESTES vulgò crediti, qui sequuntur: Jupiter, Apollo, Mars, Mercurius, Bacchus.

Deæ COELESTES; Juno, Vesta, Minerva seu Pallas, Venus, Latona, Bellona. Ordiamur ab illorum, istarumque Rege, qui est

JUPITER.

Ejus Imago.

PAL. Ubinam ille Jupiter?
MYST. Erige oculos in Cameram illam; Ex habitu facilè dignosces. Ille est *Divum pater atque hominum Rex*, quem in eburneo aureoque solio sedentem aspicis, barbatum, præferentem & dextrâ fulmen, quod in subjectos Gigantes, à se olim devictos intorquet. Sceptro (quod ajunt ex Cupresso factum, æterni symbolum imperii, cum lignum illud corruptionis sit exsors c) insidet Aquilla, vel quod educatus ab illa

Virg. æn. 1 Pausan. In Eliac. Lucian. de sacrif.

c Apud Laërt. l. 8.

illa fit *d*; vel quod in ejus olim consederit capite, regnum portendens; vel *e* quod dimicant: contra Gigantes fulmina ministrarit, unde *f Jovis Armiger* ales dicta est. Aureos habet Calceos, & Pallium aureum; variis distinctum floribus, animaliumque figuris; quod ei abstulisse in Sicilia dicitur Dyonisius Tyrannus, & tradidisse pro aureo laneum; istud commodius, inquiens fore, quovis tempore anni: nempe, hyeme calidius, æstate verò, multo levius. Ne mirere porrò, si alio alibi cultu ornatum fortè videas; Etenim pro varietate nominum, quæ sortitus est, & Populorum, apud quos cultus fuit, ornatu vario insigniri solet. Quin etiam, apud Lacedæmonios, ridebis captum auribus, quem Cretenses sic fecêre auritum, ut aures quatuor præbuerint. Hæc de Jovis Imagine: nam de illius Statua si sermo esset, referrem hoc loco, quod Verrius habet; Ejus faciem, minio, diebus festis, oblini; *k* ut cæterorum etiam Deorum simulacra; unguentis perliniri, corollisque decorari solita, notat Plautus.

PAL. Penésne unum Jovem fuit, vibrandi fulminis potestas.

MYST. Novem Diis concessam esse, Etruscorum literæ docent. Qui fuerint, non satis liquet. Nonnulli, præter Jovem; Vulcanum, & Minervam annumerant; unde, *Minervales Manubiæ*, (Manubias vocant, fulminum jactus, Etruscorum libri) quod triste Minervæ sydus, graves, æquinoctio verno, tempestates moveat. Alii, fulminum Manubias, Junioni quoque, Marti, & Austrovento attributas fuisse, asserunt; eorumque varia genera recensent *p*, ut *Peremptalia*, *postifera*, *popularia*, *perversa*, *renovativa*, *ostentatoria*, *clara*, *familiaria*, *bruta*, *consiliaria*: Ex quibus, duo tantum Romanorum vulgus agnovit, *Diurna*, *κεραυνοσκόπια ἡμερικὰ* quæ Jovi; *Nocturna*; *κεραυνοσκόπια νυκτερικὰ* quæ Summano,

d Macrob. Sat. Com. Serv. in Æn. 1. Virg. 5. Æn. Cic. 3. de nat.

Plut. de Osir. & Isid.

Ap. Guther. de Jur. man.

k Plin. l. 33. c. 7.

in Asinar.

Plin. l. 2. c. 51.

Serv. 1. & 2. Æn.

Idem 8. Æn.

Plin. l. 2. c. 43. 51. 52 Fest. Amm. Marc. l. 2. Ex Guth. de jur.

mano, seu Plutoni tribuebant. Ac jam descendamus, ad. man. l. 1. c. 3.

Jovis Genus.

PAL. Quibus parentibus ortus est Jupiter?

MYST. Quæstioni uni, una non potest satis esse Responsio; cum non unus, sed plurimi ferantur Joves, ideoque diverso nati genere. Sic igitur habeto. *Tres numerari Joves*, inquit Tullius, *ab iis qui Theologi nominantur; ex quibus primum & secundum, natos in Arcadia, alterum patre Æthere, ex quo Proserpinam natam ferunt ac Liberum; alterum, patre Cœlo, qui genuisse Minervam dicitur; tertium Cretensem, Saturni filium, cujus in illa insula sepulcrum ostenditur.* 3. de nat. Deor. At Varro, trecentos recensèt; Et alii, prope innumeros; cum nulla ferme sit natio, quæ Jovem non coluerit suum, & apud se non censuerit fuisse editum. Ille tamen, omnium facilè celeberrimus Jupiter vulgò habitus, qui Opem matrem, & Saturnum habuit patrem; cui idcircò adscribi ferè solent, quæ de aliis Jovibus Poëtæ fabulari sunt. Ap. Aug. de civ. Euseb. Cæs. l. 3. præp. Evang.

P. Ubinam verò, & à quibus educatus est?

M. Ibidem educatus, ubi natus; videlicet, in Ida Cretæ monte. A quibus autem educatus sit, mira est opinionum varietas. Sunt enim, qui à Curetibus, seu Corybantibus; Et, qui à Nymphis; Et, qui ab Amalthæâ, Melissi Cretæ Regis filia enutritum asserant. Alii contra ab Apibus liquore melleo; alii, caprino lacte alitum; non pauci, à Columbis, nonnulli ab Aquila; multi ab Ursa pastum, prodidêre. De AMALTHÆA porrò illa, est quorumdam opinio, non fuisse Melissi filiam, ut modo diximus, sed Capram ipsam, cujus lacte nutritus est Jupiter; cujus deinde Cornu, Nutricibus suis, in præmium officii dedisse fertur, hâc præ- Vid. Nat. Com. in Jove. CORNU AMALTHÆÆ.

roga-

rogativâ mirabile, ut qui illud haberet, nihil expeteret, quod non consequeretur illicò. Addunt præterea, mortuæ illius Capræ detractâ pelle, Jovem fecisse scutum, quo in pugna deinde usus est, adversùs Gigantes indéque scutum hoc, *Ægis* dictum est, ἀπὸ τῆς αἰγὸς, id est, à Capra, quam denique vitæ restitutam, obductamque aliâ pelle, inter astra retulit.

Jovis Facinora.

P. Simul adolevit Jupiter, quid gressit memoratu dignum?

M. Titanibus, (de quibus in Saturno plura) Gigantibusque bello domitis, Saturnum patrem exemit vinculis; Eundemque, aliquantò post, insidias sibi parantem solio dejecit, regnoque pepulit; divisitque cum fratribus, Neptuno & Plutone, hæreditatem paternam; (ut suo loco fusiùs, cum de utroque separatim) magnis denique humanum genus beneficiis ita sibi demeruit, itáque juvit, ut non modò inde Nomen *Jovis* habuerit, quasi *Juvans pater*, verùm etiam obtinuerit divinos honores, *Deorum atque hominum Pater* creditus. Ad ejus præclarè facta, revocari fabula potest, Lycáonis.

Cic. 2. de nat. Deor.

Ovid. l. 1. Metam. LYCAON.

Cum enim ad Jovis aures perveniisset rumor, de sceleribus, & impietate mortalium, rem certius exploraturus, è cœlo in terras descendisse dicitur, venisseque in Lycáonis, Arcadiæ Regis domum: Ubi, se Deum testatus, dum sacrificia parant alii, irridetur à Lycáone; qui contemptum scelere cumulans, periclitandi causâ, an Deus esset Jupiter, uti jactabatur, unum è domesticis jugulat, & carnes ejus assas, elixasque Jovi apponit ad epulum. Hic verò Jupiter, hominis execratus immanitatem, immisso fulmine, Regiam incendit, & Lycáonem vertit in Lupum.

P. Nul-

P. Nullane alia sunt illius facta?

M. Sunt quidem, sed turpia, sed quæ memorare pudet. Quod enim flagitii genus est, quod in se non admiserit? aut quæ turpitudinis nota, quæ illius non fuerit inusta famæ? Pauca de infinitis delibare placet. Apollon. 4. Argon.

1. Junonem sororem suam, eodem cum illo, partu editam, in Cuculum mutatus spe nuptiarum factâ, compressit. Quàm multas etiamnum, spes illa fallit! Doroth. 1. Metam.

2. DANAEN, Acrisii Argivorum Regis filiam, turri inclusam à patre, (oraculo fuerat ille monitus, fore ut occideretur à nepote) constupravit, in Imbrem versus Aureum, per tegulas immissum in puellæ gremium. Quid enim tam munitum atque tam clausum, quò non pervadat libido? Quòd pectus adeo durum, ferreumque, quod aurum non emolliat? Quod non tutum iter, & patens, *Conversò in pretium Deo.* Ovid. 4. Metam. Horat. 3. carm.

3. LEDAM, Tindari Laconiæ Regis uxorem, in Cygnum transformatus, violavit. Sic cutis sæpè candor, nigros affectus obtegit; turpissimisque mentibus, liberale prætendit velum. Arat. in Phænom.

4. ANTIOPAM, Lyco Regi Thebarum nuptam indutâ Satyri personâ corrupit. Ovid. 6. Metam.

5. ALCMENAM, Amphitryonis conjugem, per mariti absentiam, ementitâ ipsius specie, vitiavit. Id. Ibid.

6. ÆGINAM, Æsopi Bœotiæ Regis filiam, in ignem commutatus; (o metamorphosin criminì congruam!) in ignem, inquam, commutatus, inflammavit libidine, virginitate spoliavit. Ibid.

7. CLYTOREM, excellentem venustate Virginem, apud Thessalos, conversus quam in rem? Audi ac ride: conversus in Formicam, stupro maculavit. Nimirum, ingentia plerumque à minimis, mala oriuntur. Arnob. ap. Gyr.

8. CALISTO, (Nymphæ huic, id erat nomi- Boccat. l.

nis)

5. de Gen. Deor.

nis) Lycáone Rege Arcadum, genitæ; vitium intulit; virgineum, mirum dictu! mutuatus Dianæ pudorem & vultum, nec abstulit inde secutum dedecus. Cum enim fœtu gravidæ cœpisset gremium tumere; dum in fonte lavat, unà cum Diana, aliisque Nymphis, detecto scelere, ignominiosè abigitur, & à Junone mutatur in Ursam: fallor; dedecus Jupiter abstulit; dum Ursam retulit in astra, quæ etiamnum hodie, *Ursa major*, seu *Helice*, à Græcis dici vulgò solet.

Vir. 5. Æn. Ovid. 10. Metam.

9. GANYMEDEM Trois filium, pulcherrimâ formâ puerum, in Ida monte venantem, per immissam rapuit Aquilam, aut ipse potius Aquila factus, unguibus correptum, in cœlum tulit, habuitque in deliciis; & nectari Deorum

Fulgent. plac.

miscendo, atque ministrando præfecit. ASTERIÆ item Cœi filiæ puellæ modestissimæ pudorem expugnavit, & rapuit unguibus Aquilæ; nam videbatur Aquila.

Ovid. 6. Met.

10. EUROPAM, Agenore Phœnicum Rege oriundam, sumptâ Tauri specie, candoris eximii, avexit in Cretam, stupravitque. Quot belluarum induit figuram, qui semel exuit pudorem! Quam multis fabulis, veritas una adumbratur! Vel ipsos Deos, impura libidine, brutos reddi. Porrò Taurus ille, fuit re ipsâ Navis, qua rapta Europa est, cujus Insigne, Taurus erat: Ut Pegasus Equus, in Bellerophontis; & Aries, in Phrixi & Helles navi depicti, amplam Poëtis, fingendi materiam præbuêre. Sed redeamus ad fabulas. Europam illam

Ovid. 3. Met.

CADMUS, ejus frater, cum frustrà toto orbe quæsisset, nec auderet ad patrem reverti, quòd indixisset, si non invenisset,

Exilium; facto prius & sceleratus eodem,

Thebanam urbem, non procul à Parnasso monte condidit; socioque, dum aquatum eunt, à Serpente necatos ultus est, ipsiusmet Serpentis

nece.

nece. Ejusdeinde dentes evulsos, hortatu & consilio Minervæ, cùm seminasset; repentè pullulare cœperunt in segetem armatorum militum, qui, eâdem celeritate, quâ enati erant, coortâ inter eos rixâ, seipsi demessuére: exceptis quinque, per quos loca illa deinceps frequentata sunt. Cadmus autem, ejusque Conjux HERMIONE, seu HARMONIA, experti inconstantis fortunæ casus innumero, in Serpentes denique commutati sunt. Græcas literas sedecim, α, β, γ, δ, ε, η, ι, λ, μ, ν, ο, π, ρ, σ, τ, υ, inveniisse dicitur, (quibus Palamedes, belli Trojani tempore quatuor has adjecit. θ, ξ, φ, χ, scribendique solutâ oratione, rationem docuisse; & primus apud Græcos, statuas Diis consecrasse. Plin. l. 7. c. 29. Cæs. 39. c. 24.

Hujus porrò Cadmææ fabulæ Sensus historicus hic esse potest. Fuit reverâ Cadmus Sidonis Rex, natione Cadmonæus, ut nomen indicat; ex illorum numero, de quibus agit Moyses; qui Cadmonæi, iidem cum Hevæis erant, montemque *Hermonem*, occuparunt, dicti propterea *Hermonæi*; atque hinc factum, ut Cadmi uxor, vocetur *Harmonia*, vel *Hermione*, nimirum ab *Hermone*, monte; & cur in serpentes dicantur mutati; *Hevæus* enim, Syris, est Serpens. Quod autem ex serpentis dentibus, enati Milites putentur, fabulæ locum dedit, Phœniciæ vocis ambiguitas; Eadem enim verba significant, *dentes serpentis*, & *Æreas cuspides*; quibus, primus in Græcia Cadmus armavit milites suos. Is enim fuit repertor æris; unde ipse lapis, ex quo fit æs, à Cadmo, *Cadmia*, etiam nunc dicitur. Quinque porrò milites, ex eorum numero, qui ex illius Serpentis dentibus exorti fuerant, superfuisse dicuntur; quia vox Syriaca, quæ *Quinque*, significat; pro soni varietate, exprimit etiam, *Hominem ad bella expeditum*. Buchar. 2. P. Georg. c. 19. Genes. 15. 19. Hygin. c. 274. Plin. l. 34. c. 1. & 10.

Jovis

Jovis Nomina.

PALÆOPHIL. Quotuplex fuit Jovis nomen?

MYSTAGOG. Quis enumeret? Quas enim, vel à locis, quæ incoluit, & in quibus cultus est, vel à rebus quas fecit, appellationes non traxit? Illustriores tamen recenseo, alphabeti ordine.

Plut. in Osir. V. Cur. l. 4.

AMMON, seu *Hammon*, à Græcis dictus est, id est Arenarius: (ἄμμον, quippe, arena est) qui sub Arietis figura, colebatur in Libya; quòd Baccho sitienti, in fabulosis Arabiæ tractibus, & Jovis opem imploranti, ad fuisset, Arietis formam præferens, pede fontem aperientis & indicantis. Causam alii aliam afferunt; quòd scilicet uteretur in bello galeâ, cujus insigne, caput erat Arietis.

Beros. l. 4. u Euseb. l. 1. præp. Ev. Hier. 1. in Oseam.

BELUS, à Babyloniis & Assyriis, quibus imperavit, *t* Idololatriæ auctor impius, ob incertum genus, parentibus carere creditus, ideoque Deorum primus existimatus est: *u* dictus etiam *Beel, Baal, Beelphegor, Beelzebul, Belzemen*, pro linguarum, locorumque varietate.

Cic. 1. de nat. Plin. Liv. Plut. Tacit. 19.

CAPITOLINUS, à Capitolino colle, in cujus vertice templum habuit, omnium primum, quæ Romæ fuere, quod Tarquinius Priscus vovit, Tarquinius Superbus erexit, Horatius Consul dedicavit. Idem, TARPEIUS, dictus est, ab ipsa Tarpeia rupe, in qua situm erat hoc templum. Idem OPTIMUS, MAXIMUS, quod velit, & possit omnibus prodesse. *Quocirca, te Capitoline*, inquit Tullius, *quem propter beneficia, populus Romanus, Optimum; propter vim, Maximum appellavit*, &c.

Apul. de mundo Senec. 2. qu. nat.

CUSTOS, cujus extat Imago, in Neronis numismatis, in quibus Jupiter in solio sedens, dextrâ fulmen

fulmen habet, & haſtam lævâ, cum hac epigraphe, JUPITER CUSTOS. Varr. de ling. lat.

DIESPITER, olim, quaſi *Dei pater*, in jurandi formulis, paſſim appellatus, ut mox in *Lapide* Jove dicemus. *Diem* etiam, dixere Jovem Cretenſes, teſte Macrobio. Et fuit etiam Gallorum quondam Deus *Dieſpiter*; indeque, putant aliqui, illam loquendi formulam, ad noſtra uſque fluxiſſe tempora; *Ouy dea*, idem fermè, quod Græcè νὴ τὸν Δία. *Per Jovem.* 1. Saturn. Boch. in ſua Geog.

DODONÆUS, à Dodona Chaoniæ urbe in Spiro: ſic dicta, à Dodona, marinâ Nymphâ. Huic urbi, finitimum erat nemus, Jovi ſacrum, quercubus conſitum, vetuſtiſſimo totius Græciæ Oraculo celebre; in quo duæ Columbæ, conſulentibus reſponſa dabant; aut, quod aliis placet magis, vocalibus quercuum ipſarum foliis, edebantur oracula. Alex. ab Al. 6. c. 2.

ELICIUS, quod cœlo precibus eliciatur. Sic enim Ovidius. 3. Faſt.

Eliciunt cœlo, te Jupiter; unde Minores
Nunc quoque te celebrant, Eliciumque vocant.

FERETRIUS, *à feriendo*, quòd hoſtes feriat; aut à ferenda pace, ut vult Feſtus. Ex eodem enim templo ſceptrum ſumebant, per quod jurarent; cum Lapide ſilice, quo fœdus ferirent; vel *à ferendis* in ejus Templum ſpoliis opimis; qualia ipſi, primus omnium Romulus obtulit, cæſo Acrone Cæninenſium Rege. Altera verò opima ſpolia eidem Feretrio Jovi dedicavit Cornelius Coſſus, Tolumnio Etruſcorum Rege devicto. Tertia, M. Marcellus, ex Viridomaro, Rege Gallorum, de quo ita Virgilius. Plut. in Rom. Dion. 2.

Tertiaque arma Patri ſuſpendes arma Quirino. 6. Æn. & Serv. ibid.

Opima dicebantur ſpolia illa, quæ in pugna, Dux, hoſtium Duci, detrahebat.

FULMINATOR, Κεραύνιος appellatus, à fulmine Horat. 3. Carm. Virg. 1. æn

mine vibrando; quòd proprium illius munus erat, si poëtæ credimus.

O qui res hominumque, Deumque
Æternis regiis imperiis, & fulmine terres.

h Ap. Lycophr. Virg. 1. & 4. Æn.

GRAGUS, *h* in Lycia colebatur, Γράγος, itemque Genitor.

Pausan. & Hesych.

HOMOGYNUS, in Ægio, versùs mare, Templum habuisse dicitur.

Liv. l. 6.

IMPERATOR, apud Prænestinos, celebratissimus, cujus simulacrum, cum apud illos esset, Romam translatum est.

Cic. pro Mil. 86. Dion. l. 4.

LATIALIS, ab ipsa Italiæ regione, quem *Latium* vocant, unde *Latinæ feriæ*; ad quas, urbes omnes Italiæ, sacrorum participes confluebant, varia ferentes manuscula: quo tempore, Taurus unus, communi omnium nomine mactabatur, ex illoque partem quæque suam, auferebant.

Cic. 7. Epist. 12.

LAPIS, & ab aliquibus, LAPIDEUS, per quem, Jusjurandum concipiebant Romani omnium sanctissimum, quo dicebantur, *Jurare Jovem Lapidem.* Id autem cognomenti traxit, vel ab ipso *Lapide*, quem Saturno oblatum, Ops ejus uxor, Jovem esse dixit: quo sensu scripsit Eusebius, *In Creta regnasse Lapidem*; Vel ab *Lapide silice*, quem in sanciendis fœderibus, juraturi tenebant, hâc formulâ: *Sciens fallo, ita me Diespiter, salvâ urbe arceque, bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem:* quem tunc projiciebat. Aliam fœderis faciendi formulam Romani adhibebant, huic non absimilem, quam idcirco, haud absre fuerit, hîc apponere. *Si dolo malo aliquando fallam, tu illo die, Jupiter, me sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam, tantoque magis ferito, quantò magis potes, pollesque.* Quo dicto, Porcum feriebat.

In Chron. Fest. ap. Lil. Liv. l. 1.

Serv. 9. Æn.

LUCETIUS, lingua Osca, *à luce*, idem, quòd latina lingua, *Diespiter.* Sic dictus, inquit Gellius, *quod nos die ac luce, quasi vita ipsa afficeret ac juvaret.*

juvaret. Vel, ut ait Festus, quòd Lucis esse causa crederetur.

MARTIUS, Ἄρειος Ζεὺς hoc est *Pugnax*, ab Eleis coli solitus. Plut. in Pyrrho.

MUSCARIUS, Ἀπομύιος, *Muscarum abactor.* Cui, cùm Hercules rem sacram faciens, muscarum multitudine convolantium interpellaretur, Sacrificium obtulit, quo peracto, evolavere muscæ ad unam omnes. Pausan. 5. Eliac.

NICEPHORIUS, Νικηφόριος *Victoriam gestans*; cujus responso, Adrianus Imperator, ad imperium m, evectum se iri, accepit. Hujus mentionem, Livius sæpè facit, & visuntur multa numismata, in quibus Imago Jovis, victoriam manu præferentis Æl. Spart. in ejus vit. 2. de bell. Maced.

OPITULUS, & OPITULATOR, quasi *Opis lator*: Dictus etiam, à stabilitate, *Centipeda* quòd eò firmiùs, res consistere dicuntur, quò pluribus nituntur pedibus. Idem etiam, *Stabilitor* & *Tigillus*, quòd mundum sustentare putaretur, *Almus*, item, & *Alumnus*, quòd aleret omnia, & *Ruminus*, à ruma, seu mamma, quâ enutriret, animalia. Fest. Aug. 7. de civit.

OLYMPIUS, ab *Olympo*, ejus præceptore, vel à cœlo, quòd *Olympum*, Græci dicunt; vel ab urbe *Olympia*, Olympo monti proximâ, Templo Jovis, & quinquennali ludorum celebritate, toto orbe olim clarissima. Huic Jovi Olympio, primus crater in conviviis libabatur. Pau. in Ac. & Eliac. Liv. l. 4. dec. 3. Pollux.

PISTOR, cujus ara in Capitolio, posita est, cùm obsideretur à Gallis; à *Pinsendo* sic appellatus, quòd Romanis cogitationem injecisset, de conficiendis, jaciendisque panibus, in Gallorum castra; ex quo secuta, obsidionis solutio est. Ovid. 6. Fast. Lact. l. 12. Liv. l. 1.

PLUVIUS, cujus simulacrum Athenienses venerabantur, in Hymetto monte collacatum. De illo Tibullus: Phurnut. in Jovin.

Arida, nec pluvio, supplicat herba Jovi.

Serv. 2. Æn. PRÆDATOR, non quod Prædatoribus præsit; sed quòd, ex omni præda, pars ipsi una deberetur. Solebant enim Romani, ad bella profecturi, è prædis, quas acturi erant, vovere partem aliquam Diis, ad eamque rem, *Jovis Prædatoris* Templum Romæ fuit.

QUIRINUS, ut ex allato suprà, Virgilii versu patet in *Feretrio*.

1. & 10. Æn. REX, &, Regnator, passim apud Virgilium, Homerum, & Ennium.

7. Æn. *Divûm atque hominum Rex.*
Summi Regnator Olympi.

STATOR, à stando, seu sistendo; cui, Templum alterum consecravit Romulus; quòd suorum fugam stitisset, adversùs Sabinos malè pugnantium. Illum sic Livius facit precantem. Lib. 1. *At tu, Pater Deûm hominúmque; hinc saltem arce hostem, deme terrorem Romanis, fugamque fœdam siste. Hic ego tibi Templum Statori Jovi, quod monumentum sit posteris, tua præsenti ope servatam urbem esse, voveo.*

Strabo, l. 9. Arrian. 8. de gest. Alex. SERVATOR, à Græcis σωτὴρ, quod eos à Medis liberasset; itemque CONSERVATOR, ut probant Diocletiani Numismata, in quibus, Jovis effigies stantis habitu, duplex dextrâ fulmen, hastam sinistrâ vibrantis, adscriptâ epigraphe, CONSERVATORI. In alio verò; loco fulminum, Victoriolam porrigit, cum hac inscriptione: *Jovi Conservatori orbis.*

Cic. 2. de nat. Dio. l. 54. Ap. Lyl. Gyr. fine 2. TONANS & Fulgens, ab Auguribus; cui templum dicavit Augustus, ejusque simulacro appendit tintinnabulum; Βροντάϊος, ab Orpheo dicitur, quem Apulejus *Tonitrualem* appellat; Et visitur Romæ in quodam lapide, inscriptio, *Jovi Brontonti.*

Pausan. ap. eund. TRIOCULUS, à Græcis, Τριόφθαλμος, quod Triplex esse crederetur, Cœlestis, Terrestris, & Marinus. Hujus statuam habuit in Regia, Priamus, quæ præter geminos, ut aliæ, oculos; tertium habebat in fronte.

VEJO-

VEJOVIS, seu VEJUPITER, & VEDIUS, id est, *Parvus Jupiter*; ac sine fulmine. Habebatur apud Romanos, inter siniſtra noxiaque Numina; quem ideo tantùm venerabantur, ne quid inferret mali. Effingebatur, minaciter intentans spicula, quæ manu tenebat. Cic. 3. de nat. Gell. l. 5 Ovid. in fast.

ULTOR; cui, ab Agrippa dicatum esse Romæ Pantheum, scribit Plinius. Lib. 36. 15.

XENIUS, seu HOSPITALIS, quòd hospitibus jura dare crederent. Inde munera illa, quæ dabantur olim hospitibus, quæ à Latinis *Lautia*; à Græcis, *Xenia*, dicebantur. Ser. 2. æn. Cic. pro Dejot. Plut. qu. Rom. Demoſt. or. de legation. Phurnut. de Jov

Ζεὺς, Jobis proprium nomen; sic dictus, *διὰ τῆς ζωῆς*, quòd animalibus tribuat vitam.

FABULÆ SENSUS.

Quid JOVIS nomine significatum.

PAL. Quid de Jove, Poëtæ somniarint, exposuisti; nunc, quid Historici, & Mythologici, de eodem perhibeant, amabo, aperi.

MYST. Libenter. Fuit, re verâ, Jupiter, Cretensium Rex, Abrahamo Patriarchæ suppar, ut censet Eusebius, qui patre pulso, cum Neptuno & Plutone fratribus suis, regnum divisit. Cum autem sortitò, Jovi Regiones ad orientem sitæ, Plutoni autem occidua pars, & Neptuno tractus maritimi obtigissent; hinc data fingendi occasio; Jovem Cœli, Neptunum Maris, Plutonem Inferorum esse Reges, ac Deos. Tantum verò fuit, *Jobis* nomen apud posteros, ut ab illo, Reges omnes ac Dynastæ, *Jobes*, dicti sint; illorumque uxores, *Junones* à Junone Jovis conjuge. Apud Salian. in Ann. & Epitom. Turſell.

De Mythologicis, seu Interpretibus fabularum, hoc unum dicam obiter; tantam esse in hoc genere, inter illos opinionum discrepantiam; quodque est pejus, usque adeò insulsa esse & inepta, quæ plerique tradunt, tamque parùm ipsis quas explicant, congruentia fabulis;

satiùs ut putem, scribere hac de re nihil, quàm quicquam afferre, in quo non acquiescat legentis animus. Id ubi assequi me non posse videro, præteribo tacitus, & cuilibet relinquam integrum, excogitare quidlibet: Præstat enim, authorem fieri erroris quemque sui, quàm induci ab aliis: levior est lapsus, si quis labatur incitante nemine, quàm impulsu alieno si præcipitetur incautus. Si quando contra postulabit locus, ut figmenta ista enucleem, ad eruendum sensum aliquem, à communi sensu non alienum; mihi non deero; neque committam, ut me quis negligentiæ accusare jure possit. Atque ut primæ hujus exemplo fabulæ, dicta comprobem, audi, quàm variæ sint de *Jovis* significatione, sententiæ; ut de cæteris conjecturam capias.

Cic. 2. de nat. Deor. JOVIS nomine, Physici quidam, COELUM putant intelligi, ex quo locutiones illæ, *Jove tonante, fulgente*, &c. & illud Poëtæ.

Virg 10. Æn. *Pantitur interea, Domus omnipotentis Olympi.*

Theocr. Ecl. 4. AEREM alii, eaque omnia quæ in aëre fiunt, ut Fulgura, Imbres, Tonitrua, cæteraque hujusmodi meteora significari putant: Ita enim Horatius.

1. Od. *Jacet sub Jove frigido.*

Homer. Iliad. Quod vulgò, *sub dio*, dicimus ὑπὸ τῦ διὸς, à nomine Ζεὺς, quod est Jupiter. Contrà sunt, qui *Aërem*, Junonem esse dicant, & IGNEM, Jovem; quo calefactus Aër, multarum rerum generationi subserviat. Lucret. l. 1 2. Georg. ÆTHERA, nonnulli vocant Jovem; *Terram* verò, Junonem ejus Conjugem, ex quibus oriantur omnia. Quòd eleganter Virgilius expressit his versibus.

Tum Pater omnipotens, fœcundis imbribus Æther,
Conjugis in gremium lætæ descendit, & omnes
Magnus alit, magna commistus corpore fœtus.

Ap. Cic. 2 de nat. Idem quoque censuit Euripides, qui Æthera, sum-



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0045
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0046
DFG

summum Deum appellandum esse dixit. At non item Plato; SOLEM enim, putavit esse Jovem; quem Homerus cum eodem Euripide FATUM, credidit. Est autem Fatum, ut Tullius interpretatur; *Causa æterna rerum, cur ea, quæ præterierint facta sint; & ea quæ instant, fiant; & ea, quæ consequuntur, futura sint.* Alii deinde ANIMAM MUNDI, Jovis nomine significari voluerunt, quæ per omnia diffusa sit humana corpora, atque etiam per orbis partes universas, ut Maro cecinit. In Phædro. Odysse. 9. In supp. & Troad. 1. de div. Arat. init. Astron. 6. Æn.

Cœlum ac terras, camposque liquentes
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

MORALEM sensum nihil moror; esset enim infinitus, & inanis labor. Cuivis liberum est, uti supra dicebam, quidvis fingere; & abundare, quod ajunt, in suo sensu.

APOLLO.

Ejus Imago.

PALÆOPHILUS. Quis verò, Imberbis ille, intonsusque Juvenis; dextrâ Sagittas & arcum, sinistra verò tenens citharam, lauro coronatus, aureosque vestitu fulgens. Horat. l. Carm. Od. 21.

MYSTAGOGUS. Apollonis Imago est; cui aliquando addunt, in manu altera, Clypeum; in altera, Gratias. Et quia triplex ejus est potestas, idemque esse dicitur, Sol in cœlo; Liber pater, in terra; & Apollo, in inferis: cum tribus hisce rebus plerumque pingitur, Lyra, Clypeo, & Sagittis; Lyra Cœlestem, ob concentum rerum cœlestium; Clypeo Terrestrem, ob conservationem ac salutem, quam affert terrenis corporibus; Sagittis, Infernum quasi Regem indicantibus, quod Sagittis, quos ferit, mittat ad inferos. Porphyr. l. de sole.

Genus Ejusdem.

PAL. Quo genere natus Apollo est?

MYST. Scies, ubi audieris prius, quot fuerint.

P. Quot verò fuere?

Cic. 3. de nat. Deor.

M. Quatuor; quorum primus & antiquissimus fuit is, qui ex Vulcano natus; Alter; Corybantis filius, in Creta editus. Tertius, Jove natus & Latona. Quartus, in Arcadia, quem *Nomionem*, Arcades appellant. Atque, *cùm tot Apollines fuerint*, inquit Cicero, *reliqui omnes silentur, omnesque res aliorum gestæ, ad unum Apollinem Jovis & Latonæ filium, referuntur.*

P. Quo in loco, Apollo iste, Latonæ filius est natus?

Hesiod. in Theog.

M. Plura respondebo, quàm quæris. Ita rem habuisse fabulantur. Latona Cœi Titanis filia, à Jove compressa, geminam ex eo prolem concepit. Id ægrè ferens Juno, Pythonem serpentem in illam immisit; quem Latona fugiens, se recepit in Delum Insulam, ubi, Apollinem ac Dianam, eodem partu in lucem edidit.

Apollinis Facinora.

PAL. Quibus gradibus Apollo ad honores supremos adscendit?

MYST. His quatuor potissimum: Inventione Medicinæ, Musicæ, Poëticæ, nec non Rhetoricæ; ideóque Musis præesse creditus. Adhæc, Vaticinandi, & Jaculandi artem docuisse dicitur; quibus beneficiis ita genus humanum sibi devinxit, ut fuerit in Deorum numero recensitus. Audi Apollinem ipsum, eximias illas naturæ animique dotes, gloriosè prædicantem, seque venditantem fugienti Nymphæ, quam deperit.

Ovid. Metam.

Nescis,

---- *Nescis, temeraria, nescis*
Quem fugias, ideoque fugis.
Jupiter est Genitor; Per me, quod eritque, fuitque,
Estque, patet. Per me, concordant carmina nervis.
Certa quidem nostra est, nostra tamen una sagitta
Certior in vacuo, quæ vulnera pectore fecit.
Inventum Medicina meum est, opiferque per orbem
Dicor, & herbarum est subjecta potentia nobis.

PAL. Quæ memoranda præstitit?

MYST. Multa quidem, sed hæc præ cæteris.

1. CYCLOPAS fabricatores fulminum, ad unum omnes, sagittis confixit, ad ulciscendam Æsculapii filii sui necem, quem Jupiter fulmine peremerat, propterea quod mortuos, medicinæ operâ, revocaret ad vitam. Eamque ob rem cœlo deturpatus Apollo, divinitate spoliatus, calamitatibus obnoxius, exulare jussus in terris, inopiâ compulsus est ad pascendos Admeti greges. Interea, pertæsus otii, & temporis fallendi causâ, Citharam invenisse, & primus efformasse dicitur; occasione inde Mercurio fortè datâ, furtim abigendi de grege boves aliquot. Quod, dum queritur Apollo, intentatque Mercurio minas, ni abactos reducat; advertit subreptam sibi ab eodem Citharam, & iram vel invitus vertit in risum. Lucian. dial. mor. Pausan. in Eliac. Horat. 1. Carm.

2. Ad Lyræ cantum Trojanæ urbis construxit mœnia; si Poëtæ credimus. Ovid. in Epist. Parid.

Ilion aspicies, firmataque turribus altis
Mœnia, Apollineæ, structa canore lyræ.

Monstrari saxum, scripsere quidam, supra quod, Lyram deposuisse Apollo fertur; quo contactu, ita canorum factum est, ut quoties percuteretur lapide, sonum redderet lyræ similem. Pausan. Attic.

Ovid. Metam. 10.

3. HYACINTHUM quendam puerum, elegantis formæ ac indolis, quem in amoribus habebat, imprudens cum occidisset, (invidiâ Zephyri; qui dolens, sibi, ab Hyacintho, in amore præferri Apollinem, occasionemque nactus ulciscendi doloris, discum, dum illi disco ludunt, flatu suo impulit, impegitque in pueri caput, quo ictu concidit exanimis) fecit Apollo, ut ex ejus cruore in terram fuso, flores Hyacinthi erumperent.

Ecce, cruor, qui fusus humi, signaverat herbas,
Desinit esse cruor, Tyrioque nitentior ostro,
Flos oritur, formamque capit, quam Lilia; si non
Purpureus color his, argenteus esset in illis.

CYPARISSUM quoque, Adolescentem venustissimum mirè dilexit. Hic, cum cervum præstanti corpore, quem à teneris corniculis educarat, amabatque ardentissimè, imprudens occidisset, nullamque admitteret consolationem dolor, quem à cervi morte perceperat, Apollo misericordiâ commotus, illum in arborem sui nominis Cypariſſum, seu Cupressum commutavit. Petierat autem puer moriturus, à Superis,

Ovid. 10. Metam.

---- ut tempore luget omni
Ingenuit, tristisque DEus, lugebere nobis
Lugebisque alios, aderisque lugentibus, inqui.

(nam Cupressus, funebris arbor est.)

Idem ibi: l. 1.

4. DAPHNEN virginem, pudore inclytam, cùm effictim diligeret, & fugientem insequeretur aliquando; pudicitiam illa suam, Apollinis subduxit libidini, in Laurum mutata, arborem castissimam, quæ nec frigoris violentia, nec ardoris, violari se patiatur, ubique virens, semper illibata. De hac arbore virgine, exemplum memoratur, plus sanè admirationis habiturum, quàm

quàm fidei. Cùm pictor quidam, in Laurina tabula, Apollinem picturus esset, appositos colores lignum respuisse dicitur: Quasi trunco sensus inesset, & ita viveret adhuc in mortua lauro, & vel ipsam horreret impuri Numinis imaginem. Liban. in progym.

5. BOLINAM quoque Nympham diu persecutus, assecutus tamen numquam est; maluit illa siquidem, fluvii, in quem se demersit, undis extingui, quam impuris ardere flammis. Nec caruit præmio pudor invictus; à morte quippe immortalatem accersiit; & morti se Nympha, pro devensione virginitatis objiciens, mortem pariter vicit & Apollinem, immortalis exinde facta. Paus. l. 7.

6. LEUCOTHOE, Orchami Babyloniorum Regis filia, pudicitiæ non æquè fuit retinens. Cessit enim denique Apollinis Amori. Quod inustum familiæ dedecus non ferens pater, vivam. Ovid. Metam. 4.

---- defodit altâ
Crudus humo, tumulumque super grabis addit arenæ.

Indoluit Apollo, & quando aliud nihi poterat,

Nectare odorato sparsit, corpusque, locumque
Multaque conquestus, Tanges tamen æthera dixit.
Protinus imbutum cælesti nectare corpus
Delituit, terramque suo madefecit odore.
Virgaque per glebas, sensim radicibus actis,
Thurea surrexit, tumulumque cacumine rupit.

CLYTIA verò Leuchotoes soror, quæ amores Apollinis, parenti patefecerat, se ab Apolline, qui illam pariter amaverat, desertam videns, amoris impatientiâ sic extabuit, ut conversa semper in Solem suum vultu, in florem denique mutata sit, quem propterea *Heliotropium* dicimus Idem ibi.

7. MARSYÆ superbo Tibicini, musicâ contentione, à se victo, pellem detraxit, quod Ovid. 6. fast.

cum

cum ipso ausus esset in certamen venire. Qui deinde in flumen sui nominis commutatus est.

Idem 11. Metam. 8 MIDÆ autem, Phrygiæ Regi, protraxit auriculas, produxitque asininam in longitudinem ac figuram, propterea quòd Deo Pani, cum quo Apollo, canendo certaverat, palmam stolidus adjudicasset.

—— *Partem damnatur in unam,*
Induxitque aures, lentè gradientis Asselli.

Hanc Midas ignominiam, capillis utcumque tegens, Tonsorem cùm celare non potuisset, enixè oravit, exoravitque magnis promissis, ne cuiquam vulgaret, quod vidisset. At ille, secretum adeò mirum, continere diutiùs non valens,

Secedit, humumque
Effodit, & domini qualeis conspexerit aures,
Voce refert parvâ.

Aures Asininas, inquiens, *habet Rex Midas*, fossamque regestâ terrâ complet, & abit. Mirabile dictu, audituque! Enascentes ex scrobe illa Arundines, flatu commotæ licet levissimo, vocem reddebant, quam Tonsor infoderat, *Aures Asininas habet Rex Midas.*

Apollinis Nomina.

Chrysip. ap. Gyr. Varr. de ling. lat. APOLLO dictus est, ab *α* particulâ privativâ, & *πολοὶ*; quòd *non multi*, sed solus claritatem obtineat. Quemadmodum Latini dixere *Solem*, quod sit *Solus*: Vel, *ὡς ἀπὸ τὸ ἀπαλλάττειν, νόσους ab abigendis morbis*? vel *ἀπὸ τῦ πάλλειν τὰς ἀκτίνας à jaculando radios.*

Plut. ap. Phurnut. Fest. CYNTHIUS, à Deli monte Cynthio, unde & Diana *Cynthia.*

Macrob. & Phurn. DELIUS, à Delo insula ubi natus est. Vel, quod sua luce (cùm Sol ipse sit) cuncta *πάντα δῆλα*, id est, clara, & manifesta faciat; unde etiam *Phanæus* dicitur, à *φαίνειν*, *apparere.*

Pausan. in Attic. DELPHINIUS, quòd Pythona serpentem, *Delphina* dictum, occiderit; vel, quod Castalio

Cretenſi, coloniam deducenti, ſe obtulerit Ducem Delphini ſub imagine.

DELPHICUS, à Delphis, Bœotiæ urbe, quæ terræ Umbilicus dicta eſt ὀμφαλὸς τῆς γῆς quod in illam, aquilæ duæ, juſſu Jovis emiſſæ, altera ab occidente, ab oriente altera, æquabili volatu, Delphis, ſibi occurriſſent. In ea urbe, Templum habuit Apollo, omnium longè clariſſimum, ubi reſponſa dabat conſulentibus, non priùs tamen, quàm illa ipſe accepiſſet à Jove. Ipſumque eſt famoſum Oraculum, quod nato Chriſto, ſiluiſſe dicitur; & Auguſto Apollinis ſtudioſiſſimo, ſilentii cauſam ſciſcitanti reſpondiſſe in hæc verba: Phurnut. Lactant. Æſcul. ſacerd. Niceph. hiſt. l. 1.

Me puer Hebræus, Divos Deus ipſe gubernans
Cedere ſede jubet, triſtemque redire ſub orcum.
Aris ergò dehinc noſtris, abſcedito, Cæſar.

DIDYMÆUS, à gemino ſydere, Sole & Luna, quibus nocturno, diurnoque tempore, illuſtratur orbis, nam δίδυμοι, *gemini* dicuntur. Macrob. ap. Gyr.

NOMIUS, non ſolùm quòd Admeti gregem, paſtor egerit in paſcua, à Græco nomine νομεὺς, quod eſt, *Paſtor*, ſed etiam, quòd Sol omnia, quæ terra generat, calore, influxuque ſuo, quaſi *Paſcat*. Vel, ob legum nimiam ſeveritatem, quas olim Arcadiæ Rex condiderat, νόμος enim latinè *lex eſt*. Macrob. Phurnut. Cic. de nat. 3. Feſtus.

PÆAN, ὠδὴ τὸ πάυειν τὰς ἀνίας *à ſedando moleſtias*; vel à παίειν, *ferire*; ideò ſagittis inſtruitur. Sol enim radiis, velut jaculis ſæpe ferit, ac nocet. Hinc illæ voces, ἰὴ παιὰν, *medere Pæan*: & per ε, ἰὲ παιὰν; *jace, immitte Pæan*. Sic enim, pugnanti cum Pythone Apollini acclamabatur à Marre, & ſpectatoribus, ἰὲ παιὰν. Ex quo conſuetudo tenuit, non ſolùm ut hymni omnes in Apollinis laudem, *Pæanes*, dicerentur; ſed etiam, ut in Epiniciis omnibus, ac cujuscum- Ovid. 2. de arteam.

cumque celebratione victoriæ, *Io*, *Pæan*, acclamaretur. Hoc certè modo, triumphum agebat, Amator libidinosus & levissimus.

Dicite, Io, Pæan, & Io, bis dicite, Pæan:
Decidit in cassis, præda petita meos.

Cæterùm, ab *Io*, dictus est *Ieius*.

L. Gyr. PHOEBUS ἀπὸ τῦ φοιτᾶν βία, quòd *bi ferat*ur; velt à φοιβάω *Purgo*; quòd ejus beneficio, & medicinæ, quam invenit, operâ, purgentur, sanenturque corpora.

Hygin. in fab. c. 50. PYTHIUS, non tantùm à Pythone serpente, quem interfecit; sed etiam ἀπὸ τῦ πυνθάνεσθαι, ab *interrogando*, seu *consulendo*, Nemo quippe Deorum fuit, quem sæpius consulerent, qui responsa plura daret, & crebriora funderet oracula: præsertim in illo Templo Delphico, de quo suprà, quò nationes omnes confluebant, ideoq; orbis terræ vocabatur Oraculum. Edebantur autem ibi oracula, per Puellam Virginem, donec earum unâ violatâ, statutum est deinceps, ut à grandæva muliere, puellæ habitu, redderentur: Quæ à Pythio, *Pythia*, & *Phœbas* à Phœbo dicta est. Quonam verò pacto, illa nomen concipe-ret, non una est omnium opinio. Credit Tullius, *anthelitus quosdam fuisse terrarum, quibus inflatæ mentes oracula funderent.* Traditur, inquit Joan. Chrysost. *hæc Pythia fuisse fœmina, quæ in Tripode sedens, expansa malignum spiritum per inferna emissum, & per genitales partes subeuntem excipiens, furore repleretur, ipsaque resolutis crinibus, debaccharetur, ex ore spumas emittens, & sic furoris verba loquebatur.* Hinc *Ventriloquus vates* dictus, qui & pectore vaticinaretur, ἐγγαστρίμαντις, ἐγγαστρίμυθος: quo eodem vocabulo, mulier illa, quæ in sacris litteris, dicitur habuisse Spiritum Pythonis à Septuaginta Interpretibus appellatur: γυνὴ ἐγγαστρίμυθος.

Diodor. I. Stat. Theb. Diod. ibi. V. Orig. 7 adv. Cels. Epicur. 1. De Divin. 114. Ap. Lil. Gyr. Aristoph. in Vespis. 1. Reg. 28

PAL.

PAL. Quid erat ille TRIPUS, in quo sedisse Pythia vates dicitur?

MYST. Sunt qui dicant, Tripodem illum fuisse *Mensam* tribus fultam pedibus, supra quam recumbebat vates, dum reddere vellet oracula: Quam etiam Mensam, *Cortinam* dixere, à Pythonis serpentis *Corio*, quo obtegebatur. Alii *Vas*, in quo mergebatur, Phœbus responsura. Alii melius, vas fuisse putant aureum, ansarum, ternis nixum pedibus (unde, *Tripus*, dictum) cui insidebat Pythia sacerdos. Hunc Tripodem cum piscatores, jactis in mare retibus, fortè reperissent, gravisque inter eos rixa orta esset, singulis illum sibi vindicantibus, consulta Pythia respondit, totius Græciæ sapientissimo mitti oportere. Itaque delatus est ad Thaletem Milesium; at ille, ad Biantem, ut sapientorem remisit; & hic vicissim ad alium; quoad ab aliis missus deinceps ad sapientes alios, orbe confecto Sapientium, Tripus rediit ad Thaletem, qui eum denique dicavit Apollini Delphico. Plutarch. in Solone.

PAL. Qui fuere illi Græciæ Sapientes?

MYST. Hi septem, quorum nominibus adjungo locum, unde orti sunt. Thales Milesius, Solon Athenienfis, Chilo Lacedæmonius, Pittacus Mitylenæus, Bias Prienæus, Cleobulus Lindius, Periander Corinthius. De quibus memoranda quædam attexo.

THALES, inter Sapientes annumeratus, quòd Geometriam, primus in Græciam invexisse creditur: primusque observasse temporum ambitus, ventorum flatus, tonitruorum reboatus, & Solis, stellarumque conversiones. Interrogatus, quid in rerum natura putaret esse difficillimum, *Seipsum*, inquit, *nosse*. Quæ fortè causa fuit, cur monerentur, Apollinis Delphici Templum subeuntes, adscriptis, in ejus fronte, his duabus vocibus, Γνῶθι σαυτὸν, *Nosce teipsum*. Perpauci enim sunt, qui sese norint. Laërt. in vit. Phil.

SO-

Plut. in Solon. Herodot. l. 1. SOLON, ad Crœsum Lydorum Regem cum se contulisset, thesauros ingentes ostentanti Regi, quærentique, num quem putaret se fœliciorem in orbe esse? Etiam, inquit, Tellum quendam novi, admodum pauperem, virtute non vulgari hominem in suo prædiolo, Athenis commorantem te multò fœliciorem, ô Rex: Neque enim illa nos reddere beatos possunt, quæ temporum mutationi subjaceant: Nec quisquam ante cineres, beatus censendus est. Cujus deinde sententiæ, meminisse Crœsus dicitur, à Cyro captus, & flammis addictus: Pyræ siquidem impositus, cùm crebro Solonis nomen appellaret, sciscitatus Cyrus, cur Solonem sic inclamaret, & quinam ille Deus esset, cujus opem exposceret? Respondit Crœsus, quòd ab eo audisset aliàs, experiri nunc se; simulque rem totam exposuit. His auditis, Cyrus, Crœsum incendio liberavit humanæ memor vicissitudinis, magnoque in posterum in honore habuit.

Plin. l. 7. c. 32. CHILO, Effatum hoc, in ore assiduè habuit, *Ne quid nimium cupias.* Ejus filius cum in ludis Olympicis palmam tulisset, gaudio expiravit, ejusque funus universa Græcia cohonestavit.

Laërt. in vit. Phil. 1. Paradox BIAS, vir non minus sapientiâ, quàm nobilitate insignis, suos diu Cives tutatus est. *Cujus cùm patriam Prienam cepisset hostis*, ait Tullius, *cæterique ita fugerent, ut multa de suis rebus secum asportarent, cùm esset admonitus à quodam, ut idem ipse faceret: Ego verò, inquit, facio, nam omnia mea mecum porto.* Dicere etiam solitum accepimus, meminissent amici, *ita amare oportere, ut aliquando essent osuri.*

Cic. de Amici.

De tribus aliis, nihil occurrit singulare.

FABU-

FABULÆ SENSUS.

Apollo, Siderum Princeps.

APOLLINEM, aliud nihil esse quàm Solem, omnes consentiunt: quippe cui, quatuor illa, quæ Apollini vulgo tribuuntur, mirè conveniant. Primum fuit, *Vaticinandi scientia*, rerumque occultarum cognitio; quod Solis proprium est, qui lumine discussis tenebris, occultam veritatem detegit, manifestamque facit. Alterum, *Medendi ars*, quæ solarè vim adumbrat. Sole siquidè, nihil in orbe salutarius, & ad conservationem necessarium magis. Adde quod simplicium eò major efficacia & facultas est, quò solaribus radiis, & calori propiùs exposita sunt. Tertium, *jaculandi peritia*, Soli quoque congruit, qui radios, seu sagittas ejaculatur in terras; ob illorumque longitudinem, Intonsus pingebatur Apollo, promissam radiorum cæsariem, quotidie explicans. Ei propterea capillos dicabant adolescentes, ubi ex ephebis excesserant; quemadmodum & Dianæ, Zonam puellæ consecrabant, cùm Virginitatis pertæsum erat. Quartum, *Musica* fuit, à Sole etiam non aliena: Nam medius inter planetas, numeroso motu, quendam concentum efficit; Cytharáque septem nervis constante canere creditus, pari numero planetis consonantibus.

Cic. 3. de nat.

Plutarch. in Theseo.

Solem quoque ostendunt ea, quæ sacrificabantur Apollini. 1. *Olea*, quæ idcircò illi sacra, quòd Solem amet, nec in frigidis locis à Sole remotis conservari possit. 2. *Laurus*, quia ejus natura calida, semper virens, nunquam senescens; & divinationi non parum confert; ejus quippe folia pulvinari supposita, somnia vera gignere putantur; quo circa Lauro coronati vates. Quæ omnia, quisquis videat in Solem cadere? Ex Animalibus, *Cygni*, *non sine causa*, inquit Cicero, *Apollini dicati sunt, quòd ab eo divina-*

Theocrit. in Herc.

1. Tuscul.

vinationem habere videantur, quia præsidentes, quid in morte boni sit, cum cantu & voluptate moriuntur. 4. *Gryphi* etiam & *Corvi*; ob eandem causam. 5. *Accipiter*, quod acutissimos habet oculos, uti Sol. 6. *Gallus Gallinaceus*, quia ejus adventum nunciat. 7. *Cicadæ*, quia canorum animal, ex quo Athenienſibus in more, in honorem Apollinis, cicadas aureas capillis adnexas geſtare.

Thucy. & Schol. Ariſtoph.

Quid? quod ipſum Latonæ nomen, qnæ Apollinem & Dianam peperit, id ipſum videtur innuere, præſertim ſi Latona, à verbo Græco, λανθάνω, *lateo*, ducatur; quòd ſcilicet, ante productionem Solis ac Lunæ, laterent omnia involuta tenebris; è quibus duo illa clariſſima ſydera, velut è genitalibus latebris, prodiiſſe conſtat.

Vid. I. l. Gyrald. in Apoll.

Quæ quamvis ita ſe habeant, non pauca tamen à Poëtis inventa ſunt, quæ Soli attribuunt; Apollini verò nequaquam. Quapropter, de illis hìc ſeorſim nobis agendum eſt.

SOL.

Genus & ejus Nomina.

2. de nat. 3. de nat.

SOL iſte aſpectabilis, qui ſuo lumine colluſtrat omnia, *ſic dictus*, inquit Cicero, *vel quia Solus ex omnibus ſyderibus eſt tantus, vel quia, cùm exortus eſt, obſcuratis omnibus, Solus appareat.* Unicus eſt quidem ac ſolus, Poëtæ tamen ajunt fuiſſe quinque, quos Tullius idem recenſet. De quibus ſingulis, quæcunque ſeparatim fabulantur, ad unum fermè referunt, Hyperionis filium, Ætheris nepotem, incertâ matre natum.

Heſych. & Lact. Gramm. ap. Lil. Gyr.

MITRAM, vocant Solem Perſæ, ſuorumque Deorum maximum putant, quem in antro colunt. Ejus ſimulachrum, capite Leonem referebat.

bat, habitu Persico & tiara fulgens, ambabus manibus, ferocientis, & obluctantis bovis cornua retinens. Qui autem Mitræ sacris initiari cuperent, subeunda illis erant mala quamplurima, & per contumelias, verbera, frigus, calorem, aliosque cruciatus, ad Sacerdotiorum procurationem, mysteriorumque intelligentiam, invenien-dus aditus. At religionis mirare sanctimoniam. Persarum Regibus, eo tantum die licebat obruere vino mentem; quo die, Deo Mitræ sacra facerent. Greg. Naz. orat. 1. in Iul. Durif. 7. hist. ap. Athen.

HORUM appellant Ægyptii Solem, unde *Horæ* diei partes, quem Sol efficit; & Sceptro, ejus potestatem adumbrant, in cujus apice, resplendet Oculus, ut significent, illum videre, & per illum videri omnia. Ut autem redeam ad *Horas*; censentur illæ, Solis Chronidisque filiæ; quæ Currum, & Equos patri, summo manè præparent, & Diei portas aperiant. Plut. in Isid. & Osir. Homer. Iliad. & Odyss. 4. V. Boccat. l. 4. c. 4.

Ejusdem Gesta.

Gesta Solis, non alia, quam stupra fuere, amoresque meretricii, quibus lucem nominis sui obscuravit. Illustriora refero.

1. In Rhodo Insula, Venerem compressit, quo tempore aurum pluisse ferunt, & Rosis, Liliisque terram se induisse, ex quo locus ipse *Rhodus* est dictus: Ῥόδον enim *Rosam* significat. 2. E Clymene, Phaëtontem, ejusque Sorores suscepit. 3. E Neærâ Pasiphaën. 4. E Perseide, Circem; (ut cæteros omittam obscurioris, famæ Nothos) de quibus pauca nunc, pro instituti ratione, dicam; postquam ex occasione Rhodi, quædam de Colosso, qui in illa Insula visebatur, & unum erat, è septem Orbis Miraculis, perstrinxero. Pindar. in Olymp.

Septem Orbis Miracula.

PAL. Quæ fuere illa septem Orbis Miracula? Plin. 34. MYST. c. 17.

MYST. Hæc quæ sequuntur. 1. COLOSSUS, quæ fuit Solis statua, ad maris oram collocata, altitudine septuaginta cubitorum, cujus pollicem, vix potuisset unus homo complecti brachiis; tanta porrò tibiarum intercapedo, facile ut navis ingens, velis explicatis, in portum inveheretur, per media Colossi crura subiens. Duodecim annorum spatio perfectus est, constititque trecentis talentis: (Talentum, sex aureorum valet millia) Quinquaginta sex annis stetit, ac demum terræ motu disturbatus est. Ab hoc Colosso, Rhodii, *Colossenses* appellati; & quævis statua inusitatæ magnitudinis, *Colossus*, dicta.

Plin. l. 7. c. 38. & l. 16. 40. 2. TEMPLUM Dianæ Ephesiæ, quod summæ magnificentiæ fuit, & admirationis apud priscos, ducentis viginti annis constat factum esse à tota Asia. Columnæ, quibus innitebatur, centum viginti septem, à singulis Regibus factæ, sexaginta pedum altitudine. Ex his triginta septem cælatæ. Ipsius Deæ simulacrum, ex ebeno fuisse tradunt.

Plin. l. 36. c. 5. 3. MAUSOLÆUM, Mausoli Cariæ Regis sepulchrum ab Artemisia uxore constructum; cujus materiam, quamvis pretiosam (erat enim ex marmore candidissimo) longe superabat opus. Patebat à septentrione, meridiem versus, spatio trium supra sexaginta pedum; ambitu, quadringentorum circiter, & undecim; altitudine viginti quinque cubitorum. Columnis mirabili opere elaboratis, cingebatur, triginta sex. Ab hoc Mausolæo sepulcra sumptuosa quælibet *Mausolea*, dicta sunt.

Id. Ibid.

4. Jovis Olympici simulacrum, amplitudine maximum, artificio pulcherrimum, quod Phidias fecit ex ebore.

Idem l. 6. c. 26. 5. Muri Babylonis (quæ urbs Chaldææ caput erat à Semiramide Regina constructi, quorum circuitus, sexaginta, millia passuum, altitudo ducen-

ducentos pedes; latitudo, quinquaginta complectebatur; sic, ut senæ rhedæ, junctis frontibus, prætervehi commodè possent.

6. Pyramides in Ægypto; è quibus tres extare dicuntur, visenda altitudine. Prima basin habet quadratam: ambitus per frontem, centum duos pedes colligit; longitudo pedum centum quadraginta trium; altitudo millenos pedes habet. Lapidibus constat adeò enormibus, ut minimus, pedes triginta complectatur. Trecenta sexaginta hominum millia, annis viginti, eam construxisse perhibent. Duæ aliæ paulò minores, non minorem intuentibus pariunt admirationem. In iis sepulta fuisse Regum Ægyptiorum corpora, fama tenet. Plin. l. 36. c. 12.

7. Domus Cyri Medorum Regis, quam Menon, arte prodigâ, alligatis auro lapidibus fabricavit. Calepin. V. miraculum.

Solis Filii.

Ac jam ad Solis liberos convertamus sermonem; quorum clarissimus extitit

PHAETON, qui magnam Poëtis præbuit inde ansam ingeniosè mentiendi, quod cùm ei Epaphus quidam Jovis filius in jurgio objecisset, frustra illum, Sole patre gloriari; commentum illud esse matris adulteræ: tam insigni convitio, hortatuque Clymenes matris incitatus, ad Solis regiam contendit, legitimi generis haud dubia signa quæsiturus. Sol venientem comiter accepit, filium agnoscit, nullumque relicturus dubitationi locum, Phaëtonti optionem dat petendi, quidlibet; nihil se negaturum, per Stygiam paludem jurans: (quod juramenti genus, Deorum nemini violare fas est) Petit Phaëton, fieri sibi potestatem, paternum uno die regendi currum. Ingemuit Sol, animorumque prospiciens filii casum, Ovid. 2. Met.

---- *Temeraria, dixit,*
Vox mea facta tuâ est: utinam promissa licet
Non dare: confiteor, solùm hoc tibi, nate, negarem,
Dissuadere licet: Non est tua tuta voluntas.
Magna petis Phaëton, & quæ non viribus istis
Munera conveniunt, nec tam puerilibus annis.
Sors tua mortalis, non est mortale, quod optas.
---- *Dictis tamen ille repugnat.*
Propositumque premit, flagratque cupidine currus.

Quid multis? cogitur Parens obsequi temeritati filii; & monitis instructo, ut mediam teneret viam, concedit invitus, quod negare non poterat:

Occupat ille levem juvenili corpore currum,
Statque super, manibusque datas contingere habenas,
Gaudet, & invito grates agit inde parenti.
Interea, volucres Pyroeis, & Eous & Æthon.
Solis Equi, quartusque Phlegon, hinnitibus auras
Flammiferis implent, pedibusque repagula pulsant.

Ilicet, Phaëton, aurigandi imperitus, cùm cœlum terramque misceret incendiis fulmine, curru excutitur à Jove; & præcipitatur in Padum fluvium. Fratris casum, dum sine fine deflent PHAETUSA, LAMPETIA & PHOEBE, ad Padi littora; Deorum commiseratione, in Populos arbores commutatæ sunt, Electrum, lacrymarum loco, exudantes. Fabulæ huic materiam dedit, incendium maximum, quod in Italia, ad flumen Eridanum, seu Padum, Phaëtonte Rege exarsit. Docentur autem ambitiosi; quem exitum sperare debeant, dum se immoderatiùs attollunt, quàm doceat.

CIRCE,

CIRCE, veneficiorum peritissima, Sarmatarum Regem, cui nupserat, veneno sustulit; ideòque ab subditis ejecta regno, profugit in Italiam; & in Circæo monte sedem fixit. Ubi cùm Glaucum, marinum Deum adamaret, Scyllam puellam, quam ille deperibat, infectis fontibus, in quibus lavare assueverat, in marinum monstrum convertit. Ulyssem, vi tempestatis in loca illa delatum, excepit hospitio; ejusque comites, quos more suo, in Porcos, Ursos, Lupos, aliasque hujusmodi belluas mutaverat, pristinæ formæ redditos, ipsi Ulyssi, quem adversùs ejus præstigias armatum, frustra sollicitârat, coacta restituit. Quin & stellas è cœlo detraxisse dicitur, ut vel inde clariùs eluceat, à voluptate, cujus Circe, emblema fuit, homines in belluas immanes, ac fœdas verti; ipsosque etiam, qui virtutum, ingeniique splendore, in orbe micant velut in firmamento sydera, si semel se addixerint turpissimis voluptatibus; obscœnis vitiorum tenebris offundi; & velut è cœlo, ruere in cœnum præcipites. Ovid. 14. Metam.

PASIPHAE, Minoï Cretæ Regi nupta Tauri amore ardens, votique compos, arte Dædali, qui eam Vaccæ ligneæ, in hunc finem incluserat, Minoraurum perperit, monstrum, mediâ corporis parte hominem, reliquâ taurum referens. Cui fabulæ locum, inde ajunt fuisse præbitum, quòd Pasiphaë, viri cujusdam, cui Tauro nomen, amore insaniens, gemellos ex eo genuit, peperitque in ædibus Dædali; alterum Minoi marito, alterum Tauro adultero similem. Ut ut sit Minotaurus, Labyrintho, quem Dædalus Minois jussu fecerat, inclusus est. Ovid. 1. Metam. Serv. ap. Boccat. l. 4.

LABYRINTHUS enim locus erat, variis viarum ambagibus, & flexuosis mæandris, in sese redeun-

deuntibus, anfractibusque inexplicabilibus implicatus. Quo pacto autem monstrum illud occisum fuerit, & à quo, dicetur suo loco fusius, in *Theseo*.

Ovid. 8. Metam. Pausan. in Attic.

DÆDALUS verò ille, Athenienſis faber fuit egregius, qui asciam, serram, perpendiculum, terebram, glutinumque inveniſſe fertur, malumque & antennas navi primus impoſuiſſe: Statuas quin etiam, tam eleganti artificio fabricatus eſt, ut non modò vivere viderentur, ſed etiam ſtare loco neſcirent, & niſi vinculis cohiberentur, aufugerent. Hic, à Minoë, in ſuo ipſe labyrintho concluſus, cum Icaro filio, quod Paſiphaës ſerviſſet amoribus, alas ſibi, ac ſuo filio, ex cera, aviumque pennis confecit; quibus dorſo aſſutis, è Creta, in Siciliam volando pervenit. At Icarus, ſpreto patris conſilio, cùm ſeſe libraret intemperantius, juſtoque altius; exultans juveniliter evolaſſet; liquefactâ Solis calore cerâ, alis diſſolutis, in mare decidit; quod illius nomine *Icarium*, poſtea dictum eſt, Ovidio ita teſtante.

Icarus, Icariis nomina fecit aquis.

Solis filiis, adjungendi duo nepotes,

Ovid. 9. Metam.

BIBLIS & CAUNUS; Illa, iſtum tametſi fratrem, turpi amore proſequens, cum formoſiſſimum juxta caſtiſſimumque juvenem, blanditiis, nullis pellicere poſſet ad ſcelus, fugientem tamdiu inſecuta eſt, donec labore fracta, oppreſſaque mœrore, ſub arbore conſidens, tantam profudit lachrymarum vim, ut in Fontem converſa ſit.

Sic lachrymis conſumpta ſuis Phœbeia Biblis
Vertitur in fontem, qui nunc quoque Gallibus imis
Nomen habet dominæ, nigraque ſub Ilice manat.

MER-

Pl. 4.1





Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0066
DFG

MERCURIUS.

Ejus Imago, & Genus.

PAL. Quis ille Adolescens, ore hilari, specie honestâ, argutis oculis, ac sine fuco pulcher, alatum habens galerum, alatosque calceos, virgam manu tenens alatam, duobus illigatam serpentibus? Galen. ap. Nat. Com. l. 5.

MYST. Mercurii cernis Imaginem, quem Ægyptii depingebant, vultu partim atro, fuscoque, partim candido & splendido; quòd ille modò Superos, modò soleat adire inferos. Alatos gerit calceos, qui proprio nomine, *Talaria*, dicuntur; & Galerum alatum, qui *Petasus* dicitur; quòd, cum sit Deorum nuntius, non currere modò, sed volare debeat.

PAL. Quo genere satus est?

MYST. Jovem & Maïam, Atlantis filiam, parentes habuit, quam forte ob causam, Maio mense, ipsi sacrificare solebant. Ajunt quidem Junonem aliquandiu, mammam infanti præbuisse; ejusque lac cùm avidiùs sugeret, ore jam pleno, effluxisse in cœlum; ex quo, *via*, quam vocant, *lactea*, facta est; Græcis *Galaxia*, à nomine, γάλα quod *lac* significat. Hesiod. in Theogon. Horat. l. 1. Carm. Macrob. & Suidas.

PAL. Quæ fuêre

Ejus Officia & Facultates.

MYST. Officia fuêre varia: Primum ac præcipuum, Jovis mandata perferre; unde Deorum Nuncius, vulgò vocatus. 2. Deorum cœnaculum verrere, sternere lectos aliaque hujusmodi abjecta ministeria exercere. Hinc dictus, *Camillus*, *a* seu *Casmillus*, hoc est, *Deorum Minister*. Nam olim, *b* pueri omnes & puellæ impuberes, Lucian. dial. Maiæ & Mercur. a Stat. Tullian. 2. de vocab. rerum. b Serv. in 12. Æn.

puberes, *Camilli*, & *c Camillæ*, dicebantur, quod nomen retinuere in sacris, iidem pueri ac virgines, qui sacerdotibus, ad sacrificia *d* præministrabant. *e* Bœoti, pro Camillo, *Cadmilum* dicunt, à voce forsan Arabica, *Chadama, ministrare*, aut Phœniciâ, *Chadmel*, id est, *Minister Dei*, seu *Minister sacer. 3. f.* Adesse morituris, & animas corporeis solvere vinculis, solutasque ad orcum deducere; & quæ jam apud Elysios campos tempus expleſſent, iterum in vitam revocare, reducereque in nova corpora. Quæ ferè omnia, his versibus Maro complexus est.

Dixerat: Ille patris magni parere parabat
Imperio; & primum pedibus talaria nectit
Aurea, quæ sublimem alis, sive æquora supra.
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.
Tum virgam capit; hac animas, ille evocat Orco.
Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit:
Dat somnos, adimitque, & lumina morte resignat.

Facultates item fuere multiplices. 1. Literas invenisse dicitur; facundiâ certè, dicendique facultate claruisse constat: unde *Hermes* à Græcis dictus, ἀπὸ τῆ ἑρμηνεύειν, id est, *ab interpretando*, seu, *verbis explicando*. Ideòque Deus Oratorum ac Rhetorum habitus. 2. Fœderum, mensurarum, ponderum inventor esse perhibetur, & emendi, vendendique, ac mercaturam faciendi, artem docuisse primus; & à *Mercibus* seu *Mercium* curâ, *Mercurii* nomen habuisse. Hinc Deus Mercatorum creditus, & Deus Lucri; propterea que, Lucra & Thesauri ex inopinato reperti, ἑρμαῖα καὶ ἑρμαία, dicta sunt, Furandi scientiâ inter omnes, quotquot sunt ac fuere fures, excelluit, Furum Antesignanus & Deus. Nam quo die natus est, boves Admeti regis,

a Pacuvi. in Medea.
d Dion. Halic. l. 2. Macrob. sat. 3.
e Boch. l. 1. c. 12. suæ Geog.
a Sophocl. in Oedip.
Homer. Odyss. ω
4. Æn.
Tertull. l. de coronis.
Festus: Fulgen.
hiloſtr. in ſoph. 3. Lucian. Dial. Ap. & Vulc.

regis, abegit, custode Apolline, cui, dum de furto queritur, sagittas, quas intentabat, subripuit. Ad hæc, infans adhuc, à Vulcano exceptus hospitio, fabrilia instrumenta furtim abstulit. Veneri ipsum amplectenti, zonam subtraxit; & Jovi sceptrum, & propè fuit ut injiceret in fulmen manum, ni flammam timuisset. 4. Ineundæ pacis, extitit mirus artifex; quocircà pingebatur nonnunquam, catenulis aureis, quibus devinciret mentes audientium, ex ore defluentibus; non Mortales solùm sed Immortales etiam, Superos & Inferos, si quando dissiderent, ad concordiam revocans; ut Naso testatur. Ovid. 5. fast.

Pacis & armorum, superis, imisque Deorum
Arbiter, alato qui pede carpit iter.

Et Claudianus: De rapt. Proser.

Atlantis Tagæ Nepos, commune profundis
Et superis Numen, qui fas per limen utrumque
Solus habes, geminoque facis compendia mundo.

Hanc vim facultatem, virga illa significat, quam manu præfert, acceptam olim, muneris loco, ab Apolline, cui Lyram priùs dederat. Ei quippe virgæ, vis in erat admiranda prorsùs, quasvis controversias dirimendi; quod primùm patuit in duobus anguibus; in quos ex itinere cùm incidisset Mercurius, virgâ interpositâ conciliavit illicò; hique mutuo nexu implicati, hæsere deinceps eidem implexi virgæ, seu Caducèo: (*Caduceum*, enim vocatur:) ex quo *Caduceatores* dicti, qui de pace facienda mittuntur nuncii. Nam sicut per *Feciales* bella olim indicebantur, ita per *Caduceatores* finiebantur. Hom. in hymn. Lexic. lat. hac V.

Gesta

Gesta Mercurii.

PAL. Extántne quædam de illo, mandata literis?

MYST. Multa quidem, sed haud digna satis meo quidem judicio, quæ mandentur memoriæ. Non indignum tamen, quod sequitur.

Ovid. 4. Metam. HERMAPHRODITUM genuit ex sorore Venere, quasi latinè dicas, Mercurio Venerem. (Ἑρμῆς enim, Mercurius; & Ἀφροδίτη, Venus est.) Puerum illum formâ inclytum, pudore eximium, amabili fœminarum odio mirabilem, perditè diligebat Salmacis Nympha, sylvarum incola, quas ille venando sæpè peragrabat. Sæpè illa Adolescentem aggressa, semper repulsam tulerat; nec tamen desperare. Igitur struit insidias ad fontem; quò dum venit ille ad balneas, insilit pariter in aquam Salmacis; nec sic tamen expugnat castissimi juvenis pudicitiam. Ad superos ergò conversa orasse fertur, ut ex duobus saltem corporibus coalesceret unicum; quod & impetravit. Hic, Hermaphroditus, dum stupet mutatione sui corporis; ad doloris solatium, sibi pares habere cupiit, exoravitque ideò parentes suos, ut Fonti, in quo lavabat, (fons erat Cariæ, nomine Salmacis,) ea natura maneret, ut qui vir eum iniret, Ἀνδρόγυνος, hoc est, utrumque sexum habens, seu, *Hermaphroditus*, ex illius aquis existeret. Nec involvendum silentio, quod subjungo.

BATTUS quidam, equarum custos, Mercurium fortè viderat, vaccas Admeti Regis, subducentem pascenti Apollini. Id simul advertit Mercurius, hominem adit, rogat nemini aperiat furtum; & precibus addit munus, vaccam nitidissimam. Promittit ille. At Mercurius Batti fidem periclitaturus, mutatâ tantisper personâ, ad illum redit paulò post; quærit de vaccis, quæ aba-

abactæ fuerant, easne viderit, sciatne locum quò fur eas abduxit. Negat ille. Instat Deus; & taurum cum vacca se daturum pollicetur, si indicet. Promissis captus, locum & vaccas indicat. Hic, Mercurius, depositâ personâ, excandescens, perfidum in Lapidem vertit, dictum etiam nunc *Indicem*, inquit Ovidius, cujus carmen ob venustatem, hîc attexo.

At Battus; *postquam est merces geminata: sub illis*
Montibus, inquit, erant; & erant, sub montibus illis.
Risit Atlantiades; & me mihi, perfide prodis?
Me mihi prodis? ait; perjuraque pectora vertit
In durum silicem, qui nunc quoque dicitur Index.

Solebant enim veteres, in viarum divortiis, statuas ponere, quæ protensâ manu, porrectoque digito, quasi loca indicarent; unde dictæ, *Indices*. At verò Statuæ, quæ apud Romanos, in triviis, compitisque; apud Athenienses autem, pro foribus ædium, ad custodiam nimirum, furesque arcendos, *Hermæ* dicebantur, ab ipso Mercurii nomine, qui, ut jam dictum est, *Hermes* Græcè vocatur. Observandum porrò est;

1. Hermas hujusmodi, pedibus, manibusque Herodot. l. 2.
caruisse, ἄποδας. καὶ ἀχείρας: Ex quo fortè *Cylleni* cognomentum Mercurius traxit, & per syncopen, *Cyllii*; non à *Cyllene* tantùm Arcadiæ monte, in quo educatus est, sed etiam, quòd, qui manuum & pedum expertes sunt, κυλλοὶ, dicuntur. Vid. Lil. Gyr.

2. Marsupium, Mercurii statuis appendi solitum, ut significaretur, Quæstûs esse & Lucri Deus, nec non Mercaturæ Præfectus; qua in arte, quòd plerumque multa per fraudem ac dolosè fiant, *Dolius*, idcirco fuit appellatus. Macrob. & Suid. ap. Lil.

3. Ro-

3. Romanos consuesse Mercurii ac Minervæ statuas conjungere, quas *Hermathenas*, nuncupabant; & in eâdem communique ara, utrique sacrificia facere. Mercurio quidem semper sacrificabant, qui gravi quopiam perfuncti fuissent periculo; eique vitulum immolare, mel & lac offerre solebant, & maximè victimorum linguas; quas præcipuâ quâdam Religionis cæremoniâ, projiciebant in ignem; eratque pars illa sacrificiorum ultima; quem ritum, primos Megarenses induxisse ferunt.

Pausan. Attic. Ovid. 4. Metam.

BACCHUS.

Ejus Imago.

MYSTAGOGUS, Quid rides, Palæophile?

PAL. Quis risum teneat, ad aspectum Dei tam turpis, quem Mercurio vicinum intueor, inverecundum, inhonestum, nudo corpore, ore rubicundo, lascivo obtutu, gestu languidulo, mollitie fractum, vinoque madidum; cujus inflatas genas dum aspicio, duas mihi lagenas videre videor: Dolium certè potiùs, quàm Deum, illo curru vehi, facit ut credam, obesus ille venter, & adipale pectus, distentusque ac tumens aqualiculus.

Euripid. in Bacchis

MYST. Ne mirere, Bacchus ipse est, vinolentorum Deus, Ebriosorum Dux & Imperator. Nam, ut cernis, coronâ pampineâ & hederaceâ insignis est: & Thyrsum pro sceptro præfert, hoc est, hastam ferro præfixam; quod hedera convestit aut pampinus: Et Curru vehitur, quem modò Tigrides, ac Leones; modò Lynces, atque Pantheræ trahunt: & Regem stipat temulenta cohors Satyrorum, Cobalorum; (sunt

Ovid. l. 1. arte. Aristoph. Scholiast. in Plutum. Strab. l. 20.


PATRI.
LIBERO. P. C. ONS. AVG.



(sunt dæmones) Lenarum (Nymphæ erant torcularibus præsidentes) Naiadum , atque Bacharum ; claudit agmen Silenus, pando asello insidens. Ovid. 4. Metam. & 3.

PAL. Hem! quid cerno ? Cornutus tuus hic Bacchus est, & Imberbis puer; quem tamen bene barbatum Senem audieram fuisse, apud Elienses. Pausan. in Eliac.

MYST. Ita est; & Senex aliquando, sed plerumque puer pingitur imberbis, & comptulus: sic enim de illo, Ovidius: 1. Metam.

---- *Tibi inconsumpta juventa:*
Tu Puer æternus, tu formosissimus, alto
Conspiceris cœlo ; Tibi , cùm sine cornibus adstas.
Virgineum caput est.

Et Tibull.

Solis, æterna est, Phœbo, Bacchoque juventa.

De Cornibus autem,

Accedant capiti cornua, Bacchus eris. Ovid. in Sappho.

Rationem post paulò subdam, & cornuum & cæterorum sub fabulæ finem.

Bacchi Genus.

Mirabile simul, ridiculumque fuit Bacchi genus: si Poëtæ sunt audiendi, ut sanè audiendi sunt, cùm de fabulis agitur. Ajunt enim, SEMELES, Cadmi filiæ, captum amore Jovem, tantam movisse Junoni suæ Zelotypiam, ut nunquam majorem. Ergo Pellici molitur insidias Juno, anûs speciem induit, invisit officii causâ Semelem, gratulatur consuetudinem cum Jove; hortaturque, ut venientem Deum, inviolabili jurejurando adigat, sibi ut promittat, quodcunque petet: petes autem, inquit, semel ut saltem accedat ad te, qualis ad Junonem solet. Gloriosus nempè congressus tibique per-

perhonorificus, & gratissimus accidet. His dictis incensa Semele, ut primùm videt Jovem, rogat unum.

Ovid. 3. Metam.

----- sine nomine munus.
Cui DEus, elige, ait? nullam patière repulsam;
Quoque magis credas, stygii quoque conscia sunto
Numina torrentis; Timor, & Deus ille Deorum est,
Læta, malo, nimiumque petens, perituraque amantis
Obsequio, Semele: Qualem Saturnia, dixit,
Te solet amplecti,-----
Da mihi te talem.

Ingemuit Jupiter; indicta quippe esse nequeunt quæ dicta sunt; & injurata, quæ juravit. Itaque, tremenda majestate terribilis, domum intrat Semeles. At

---Corpus mortale, tumultus
Non tulit æthereos, donisque jugalibus arsit.

perstricta fulgure, exanimata tonitruo, fulmine redacta in cineres. En iterùm, quò temeritas effert, quò redigit ambitio. At, quid infanti factum, quem gerebat in utero, infelix mater? Audi ac ride.

---Genetricis ab alvo
Eripitur, patrioque tener (si credere dignum est)
Insuitur femori, maternaque tempora complet

Euripid. Bacch. Nat. Com. l. 4. Apoll. 4. Argon.

Insutum ergò femori gestat Bacchum Jupiter, & maturo jam partu, parit; natumque tradit Mercurio, deferendum in Eubœam, ad Macrim Aristæi filiam, quæ melle primùm Infantis labra illinit, magnaque curâ educat, in antro quodam geminas habente portas.

Bac-

Bacchi nomina.

Inchoandum à nomine proprio; deinde veniemus ad cognomina.

BACCHUS, dictus est, ἀπὸ τῦ βακχεύειν, seu βακχίειν, ab insaniendo, immodestè agendo. Indidemque nomen duxêre suum, mulieres insanæ illæ, Bacchi comites, *Bacchæ* appellatæ; quæ etiam *Thyades*, ἀπὸ τῆς θυάς, à furore ac rabie; & *Mænades*, à μαίνομαι, desipio, ferocio; & *Mimallones*, à μίμομαι, imitor, quòd Bacchum imitarentur. Eustath. ap. Lil. Virg. Æn. 4.

BIFORMIS, δίμορφος, quòd Juvenis fingeretur & senex; imberbis & barbatus, vel quia vinum, cujus Bacchus emblema refert, hilares & iracundos, ac morosos homines redderet solet. Diodor. ap. Lil.

BRISÆUS, vel à Nympha ejus nutrice, ut quidam autumant; vel ab uvæ & mellis usu, quem invenit. *Bris* enim, idem ac *Jucundum* est; vel à Brisa Lesbi promontorio, ubi colebatur. Cornut. in Pers. Sat. 1.

BROMIUS, ἀπὸ τῦ βρόμε, ab incendii crepitu, tonitruique sonitu, tum cùm ejus periit parens, exandito. Ovi. l. 4. Metam.

BIMATER, seu BIMETOR, quòd geminas quasi Matres habuerit, alteram (nempe Semelem) quæ conceptum tulit in utero; alteram (nempe Jovem) quæ incendio ereptum, tulit in femore.

BUGENES, βυγενὴς, à Bove genitus, ex quo nuncupatur à Græcorum plerisque, *Tauriformis*, & *Tauriceps*. Idcircò cornua, ejus affixa capiti, quòd primus, aratro boves conjugasse, vel, quod Ammonis filius fuerit, cui arietinum caput erat. Clem. in strom. Eusseb. l. 2. præp. Evang.

DÆMON BONUS, in cujus honorem sublatis mensis, poculum extremum circumferri solebat in conviviis. Diodo. l. 5. Idem l. 3.

Diod. Orig. Euseb.

DITHYRAMBUS, ἀπὸ τῦ δὶς εἰς θύραν ἀναβαίνειν, à *bis in januam ingrediendo*, quod nimirum, bis editus in lucem credatur. Vel; quod spelunca, in quâ nutritus est, δίθυρον esset, hoc est, duo haberet ostia, vel quod ebrii, secreta continere nequeunt, sed primùm à pectore prodeunt in os, & ex ore foras erumpunt, quasi per geminam portam; vinum quippe, τὸ πόμα δίθυρον facit.

Phurnut. in fab. Lucian. Dial. Nonn. l. 9.

DIONYSIUS, seu DIONYSUS, ἀπὸ τῦ Διὸς, id est, à Jove, à quo genitus; & à Nysæis Nymphis, à quibus, ut vulgò tradunt, educatus est: vel à νύσσω, *pungo, ferio*, quòd corniculis, latus Jovis; nascens pupugisset, vel, à νῦσος, claudus, quod Jupiter, illum dum gestaret in femore claudicaret, vel, à *Dia* insulâ, una de Cycladibus, *Naxos* etiam dictâ, quæ post ductam Ariadnem, ipsi consecrata fuit, aut à Nisa civitate, in qua regnavit.

a Eurip. in Bacch. b Virg. Æn. 7. Cornut. in Pers.

EVIUS, *a* vel EVOHUS *b*, quod in *c* bello Gigantæo cum non apparuisset, occisum ratus Jupiter, *Eheu*, dixerit, adjiciens deinde, εὖ, id est, *fili*, vel quod mutatus in Leonem Bacchus, Gigantem cum peremisset, audierit à Jove, εὖ γε; *Macte fili, præclare fili.*

Acron. in Horat. Vir. 6. Æn. Ovid. 4. Metam.

EVAN, à voce Bacchantium, unde *Evantes* ipsæ quoque dictæ.

Nat. Co. l. 5.

EUCHIUS, ab εὐχέω, benè ac largè fundo; quòd vinum largiter ac liberaliter fundat in pocula.

Ovid. 4. Metam. Æschil. in Prometh.

ELELEUS, & ELEUS, ab adverbio ἐλελεῦ; exclamatio bellica, hortantis ad pugnam; qua voce utebantur, celebrantes Orgia, & in ipso, cum hoste, conflictu.

L. 1. de rapt.

JACCHUS, ἀπὸ τῦ ἰαχχάω, *clamo, vociferor*, de quo Claudianus:

--- lætusque simul procedit Jacchus
Crinali florens hedera, quem Parthica Tigris
Velat, & auratos, in nodum colligit ungues.

Non

Non enim semper nudus incedebat, sed pelle quandoque tectus Tigridis. Virg. 2. Georg.

LENÆUS, quod *leniat* mentem vinum, inquit Donatus; quam interpretationem meritò non probat Servius, quòd *Lenæus* vox Græca sit, & *lenire* Latina. Alii igitur, hoc nomen ducunt, ἀπὸ τῦ ληνῦ, à Torculari, quo vinum exprimitur. Ovid. 4. Metam. in 2. Georg.

LIBER, & LIBER PATER, à *liberando*; nam Græcè Ἐλευθέριος, *Liberator*, est dictus; ideóque in universis colebatur liberis civitatibus; & Libertatis erat symbolum. Vir. 7. Ecl. Plutar. in probl. Pausan. in Attic.

LYÆUS, idem quod *Liber*, latinè; quòd vinum solvat curis animum, & vinolenti liberè effutiant, quidquid in buccam venit. Ita enim Ovidius: Ovid. 4. Metam. Virg. Æn. 4.

Cura fugit multo, diluiturque mero.

Eodem sensu, cognominatus quoque fuit LYSIUS; De arte.

NYCTELIUS, à νυκτελίω, à *nocte perficio*, quòd ejus sacra nocte peragerentur. Phurn. in Bacch.

NYSÆUS, à monte Nysiæ, ubi educatus est. Ovi. l. 4. Metam.

RECTUS, Ὀρθὸς; quòd quendam Athenarum Regem docuisset, vinum aquâ diluere; ex quo factum, ut homines qui priùs vino madidi, gressu labante vacillarent, *recta* ire cœperint. Idem Ibid. Paus. in Bœot.

THTONÆUS, à Thyone matre, vel nutrice; hoc enim etiam nomen habuit Semele. Hor. l. 1. Carm.

TRIUMPHUS, Θρίαμβος, quòd Triumphantibus acclamarent milites, dum ascendebatur in Capitolium, *Jo triumphe*. Varr. de ling. lat.

Bacchi Gesta.

Bacchus tanta gessit, tot in humanum genus beneficia contulit, quà dirimendis controversiis, qua condendis urbibus, legibusque ferendis, victoriisque reportandis, ut propterea cunctis populorum suffragiis, relatus sit in Deorum Senatum. Quid enim Bacchum non feciſſe Diod. l. 2. hist. & Oros. l. 2. Horat. 2. Epist.

credendum est; cum Bacchæ ejus Sacerdotes ac sociæ, thyrsis terram ferientes, mellis, lactis ac vini rivulos elicerent, similiaque patrarent labore nullo miracula? Sed vim omnem illam, quâ pollebant, à Baccho utique acceperant; qui

Ovid. 3. fast. 1. Vini usum, invenit, ferendi vites artem docuit, mellisque conficiendi rationem, agrorumque colendorum apud Ægyptios, à quibus idcircò pro Deo habitus, & Osiris dictus.

Dion. de situ orb. Sed sit in laude Bacchus, quod vites primus severit: suam modò invideat laudem Asino Naupliæ, qui eas abrodendo, putandas esse, primus docuisse fertur.

Vid. Nat. Com.

Idem, Ib. 2. Mercaturæ faciendæ modum, & Navigationem primus aperuit, cùm Phœnicibus imperaret.

Ovid. 3. fast. Eurip. in Bacch. 3. Homines, pecudum more palantes, ad civilem vitæ cultum, Deorumque cognitionem traduxit, & vaticinandi arte præcelluit.

Dion. Ib. 4. Indos subegit, nationes domuit plurimas, Elephanto vectus indico; Ægyptum, Syriam, Phrygiam, totumque Orientem victoriis peragravit, ubi columnas statuit, ut Hercules in Occidente. Triumphos denique, Regnumque Diadema adinvenisse dicitur.

Idem eod. lib. de situ orbis, Ovid. 11. Metam. 5. MIDAM Phrygiæ Regem, de cujus asininis auribus dictum in Apolline, benè de se meritum, munere affecturus aliquo, cum ille, à Baccho petiisset, ut quidquid attingeret, verteretur in aurum,

Annuit optatis, nocituraque munera solvit
Liber, & indoluit, quod non meliora petisset.

At verò,

Lætus abit, gaudetque malo,

Midas, & quidquid tangit, aurum est. At cum cibum sumpturus & potum, aurum etiam illa fierent, sibique fame ac siti pereundum esse videret; sensit tandem stolidus, munus se perniciosum flagitasse, pretiosumque damnum. Et facti pœnitens,

nitens, Bacchum precatur, suum sibi habeat donum & munus auferat. Annuit Bacchus, jubetq; ut in Pactolo flumine Lydiæ, se lavet. Obtemperat Midas, exindeq; aureas cœpit fluvius ille volvere arenas & *Chrysorrhoos*, seu *Aurifluus* appellari.

6. In Naxum insulam navigare cupiens, Tyrrhenos nautas, qui illum adhuc puerum & dormientem in navim imposuerant, primùm stupore perculit, statutâ eodem in loco immobiliter navi, deinde timore penè exanimes, ob enatas repentè vites & hederas remis inserpentes, in mare præcipitavit, & in Delphinos convertit. Ovid. 3. Metam.

Bacchi Sacra.

In Sacris tria spectari possunt. Res quæ offeruntur, Sacerdotes, & Sacrificia ipsa certis conficienda cæremoniis.

1. Res Baccho sacræ seu consecratæ, fuere in plantis & arboribus, Abies, Hedera, Smilax, Quercus, Ficus, & Vitis. Ex animalibus, Draco, & Pica ob garrulitatem ebriosorum. Immolabatur in ejus sacrificiis, Hircus, animal vitibus inimicum; Sus etiam, apud Ægyptios, proforibus Domorum, in ejus honorem. Plutar. in probl. symp. Euripid. in Bacch. Herodot. Euterpe.

2. SACERDOTES ejus, Satyri erant, Sileni, Lenæ, Naïades, in primis verò fœminæ, furore percitæ, quas dixere *Bacchas*, ab ipsomet Baccho. Vid. Nat. Com. l. 5.

3. Sacrificia fuêre varia, & pro varietate nationum ac locorum, variis contenta ritibus, certisque anni diebus, summa cum religione, aut potius impietate, sceleribusque celebrata. Prima omnium à Phœnicibus instituta.

OSCHOPHORIA, in quibus pueri pampinos manibus gestantes, è sacro Dionysii templo, in sacellum Palladis, precabundi decurrebant. Pausan. in Attic.

TRIETERICA, brumali nocturnoque tempore celebrari solita, Bacchis armatis, cum vo- Ovid fast. & 6. Met.

ciferatione, & rerum futurarum, ut credebatur, prædictione, palantibus. Sic dicta, quòd tertio post anno Bacchus, ab Indica navigatione revertisset.

Scholiast. Aristoph. EPILENÆA, certamina vocabantur, quæ fiebant vindemiæ tempore, cum torcular exprimendis uvis esset inventum. Certabant enim inter uvas calcandas, quis citius plus mustiexprimeret; intereaque Bacchi laudes cantillabant, rogantes, ut quàm suavissima musta defluerent.

Demarat. in certam Dionys. CANEPHORIA, apud priscos Athenienses, quo tempore canistros ferebant aureos, Virgines nubiles, frugum primitiis refertos. Quanquam non desint, qui hujusmodi sacra in Dianæ

Doroth. Sydon. ap. Nat. Com. honorem instituta dicant; quibus canistris, non fruges, sed alia munuscula, quæ sua ipsæ manu elaborassent, huic Deæ offerebant, quò testarentur, nuncium se virginitati remittere, & ad nuptias adspirare.

Vid. Nat. Comit. in Bacch. APATURIA, à *decipiendo* sic dicta, apud eosdem Athenienses celebrata.

Idem. Ib. AMBROSIA, mense Januario, qui Dionysio sacer erat, agi solita, unde & illum mensem, *Lenæonem* aut *Lenæonem* à Baccho appellarunt, quòd

Cæl. Rho. l. 18. c. 25 per id tempus, vina importarentur in urbem. Hæc autem Sacra, *Brumalia*, Romanis erant, bis in anno celebrata, Februario scilicet, & Augusto mense; ita vocata, à *Bruma*, quo nomine Bacchum Romani appellabant.

Tzetz. in Hesiod. Menand. l. de mysteri. ASCOLIA, à nomine Græco ἀσκὸς, quod *utrem* significat; quòd in iis, utres vento, aut, ut alii volunt, vino plenos adhiberent. Agebantur autem apud Athenienses eo ritu, ut super utres hujusmodi inflatos, insilientes pede altero, sæpiùs laberentur; qua in re magnum se putabant habere honorem Baccho, quòd sic Hirci pellem, vitibus infesti, proculcarent Apud Latinos autem præmia insuper proponebantur iis, qui per utres, ex arte saltando, cæteros vincerent.

renc. Tum incondito carmine, confusisque vocibus Bacchum inclamantes, ejus statuam per vineas circumferebant, larvati, arborum corticibus, vinique fæce, ora linientes. Deinde ad ipsius aram, unde decesserant, redeuntes, victimas in lancibus oblatas cremabant. Appendebant denique arboribus altissimis, ligneas, fictilesve Dei ejusdem imagunculas, quas ab oris parvitate, *Oscilla* vocabant; ut ex iis veluti sublimibus speculis, vineis prospiceret Bacchus, ne quid detrimenti caperent. Expressit id eleganter Maro.

---- Atque inter pocula læti, 2. Georg.
Mollibus in pratis, unctos saliere per utres.
Versibus incomptis ludunt, risuque soluto
Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis.
Et te, Bacche, vocant per carmina læta, tibique
Oscilla, ex alta suspendunt mollia pinu.
Hinc omnis largo pubescit vinea fœtu, &c.

BACCHANALIA demum, seu Dionysia, seu Orgia, festa fuere, apud Romanos, à solis primùm fœminis, mediâ luce, mense Februario convenientibus. Postea, celebrari cœpta, per fœminas viris mixtas, puellisque adjunctos Juvenes; à quibus, ut uno verbo dicam, nulla turpidinis ac furoris aberat nota. Per eam siquidem occasionem, obtentu religionis sacrilegæ, stupra, adulteria, veneficia, parricidia, cæteræque pestes ac scelera grassabantur, donec edicto senatûs, exitialia Sacra sublata sunt. Quod etiam Diagondas, Thebanus fecit, ut testatur Cicero, propter eorum turpitudines. Idem tentarat Pentheus Rex Thebanorum, sed eventu luctuoso, nam vitâ crudeliter spoliatus est, à Bacchantibus; fecitque locum fabulæ, à matre, sororibusq; fuisse discerptum, cùm aprum, illum esse crederent. Fabula quoq; est, ALCITHOEN, Idem 4. Minei filiam, ejusque sorores; quòd dum Met.

Liv. l. 9. Aug. 6. de Civit. c. 11 2. de leg.

Ovid. 4. Met.

celebrarentur Orgia, lanificio intentæ, domi quiescerent; & aspernarentur Bacchi sacra; in Vespertiliones, fuisse mutatas. Et merum etiam commentum est, quod aliqui de Lycurgo ferunt, cùm sæpè Bacchanalia hæc, impedire frustrà esset conatus, sibi crura amputasse, quia vites cæderet incontemptum Bacchi.

Ap. Nat. Com.

SENSUS FABULÆ HISTORICUS.

Bacchus, Nemrodis aut Mosis Emblema.

Bochart. in suo Phaleg.

DUplicem, invenio huic Fabulæ de Baccho, attributum fuisse sensum. Sunt enim qui Nemrodum Bacchum putent, his adducti præcipuè rationibus. 1. Similitudine nominis, *Bacchus* & *Barchus* id est, *Cusi filius*, qui est ipse Nemrod. 2. Allusione ad Hebræum nomen, *Nimra*, quod apud Chaldæos, *Tigrim* significat; Anthol. 1. c. 38. ep. 1. Inde tigres in curru Bacchi, & amictus è pelle tigridis. 3. Vocant quidam Bacchum, Νεβρώδην, quod ipsissimum est Nemrodi nomen. 4. In nominibus Bacchi istud est, quod omiseramus (nec enim omnium texere debuimus indicem) Ζαρρεὺς, id est, *Robustus venator*, quod epitheto, Nemrodum seu Nebrodem insignit Moses. 5. Nec immeritò vitibus præsidere creditus, qui Babylone primus imperavit; ubi vinum præstantissimum, celebratum apud veteres.

Ex Athenæo. Vossius apud Bochart. in suo (Chanaam.)

Alii Bacchum, Mosem fuisse putant, quòd in ejus fabula, multa petita videantur ex historia

Mosis

Mosis. Primùm enim, à nonnullis fingitur in Ægypto natus, & statim arcæ inclusus, & aquis impositus, item ut Moyses. 2. Διμήτωρ, Bimater, quod Bacchi cognomen est, adscribi etiam Moysi potest; duplicem quippe matrem habuit, alteram naturâ, adoptione alteram, filiam scilicet Pharaonis Regis. 3. Uterque formâ clarus & educatus in Arabia, & bellis præstans, & fœminas habuit in exercitu. 4. Bacchum, Orpheus vocat μέσην hoc est, *Mosem*, & Θεσμοφόρον, *Legislatorem*, & eidem tribuit δίπλακα θεσμόν, quasi duplices legis tabulas. 5. Addit idem, vocari Bicornem; ut cornuta Mosis facies fuisse dicitur, ex quo scilicet cum Deo collocutus in monte, radiis coruscum caput quasi promicantibus è fronte cornibus videbatur. 6. Et Angues esse in Bacchi mysteriis; & canem illi socium, ut Mosi *Calebum*, cujus nomen Hebræis *canem* sonat. 7. Et Bacchæ quoque aquam è petrâ, virgâ, seu thyrso, percussa eduxêre; & terra, quacumque illis erat iter, lacte, vino, & melle fluebat: Quemadmodum Terra Chanaan, ad quam Israëlitas perduxit Moses, non lacte solùm & melle, sed vino affluebat etiam, ut ex illo patet, nobili palmite cum uva sua abscisso, quem in vecte portabant viri duo, 8. Bacchus Orontem & Hydaspem fluvios Thyrso tactos, & siccatos trajecit, ut in mari Rubro à Moyse factum est. 9. Et baculus hederaceus, à Bacchâ in terram projectus, Draconis instar reptasse dicitur, & seque implicuisse quercui. 10. Et Indos in tenebris versatos esse ferunt; dum Bacchæ luce fruebantur.

Exod. 34. 29.

Eurip. in Bacchis.

Num. 13. 24. Nonn. in Dionysiac. l. 23. & 25. & 35. & 45. Apud Bund.

Ex quibus colligas, priscos fabularum Architectos, è scriptoribus sacris multa esse mutuatos, ad consarcinanda sua commenta; cujusmodi illud est, quod Homerus habet, Bacchum, in luctu contra Pallenem, sponte cessisse, instar Angeli, qui luctabatur contra Jacobum. Tale fuit, quod

Iliad. 48. in Achaic.

In Achaic. 6. 19. quod Pausanias memoriæ prodidit; Græcos, apud Trojam reperisse arcam Libero sacram, quam cum aperuisset Eurypilus, & in ea reconditam Bacchi statuam esset intuitus, statim mentis impos est factus. Sumptum id, ex primo Regum, ubi Bethsemitas ideo percussisse dicitur Deus, quod Arcam fœderis curiosiùs inspexissent. Tale, quod Bacchum fabulantur Atheniensibus iratum, quòd sacra sprevissent sua nec illa excepissent cum ea, quâ par erat, reverentiâ, cùm è Bœotia in Atticam à Pegaso primùm allata sunt, illos in pudendis afflixisse gravi morbo: A quo nulla fuerit salus, donec ab oraculo moniti, debitos Deo honores præstitissent; & *Phallos*, hoc est, imagines illarum partium, quas afflixerat, in ejus honorem erexissent; unde festa & sacra *Phallica*, apud eosdem Athenienses, quotannis celebrari solita. An ovum ovo simile, quam fabula hæc, historiæ de Philisthæis? Quibus cum propter Arcam indignè habitam, Deus immisisset hæmorrhoidas, consulti vates responderunt, sanari eos aliâ ratione non posse, quam si aureas hæmorrhoidum imagines Deo consecrarent.

Aristoph. Schol. in Acharn. act. 3. sc. 1.

1. Reg. c. 6

SENSUS MORALIS.

Bacchus, Vini symbolum.

BAcchi fabula, *Vinum*, & quæ à vino fluere solent exprimit. Ordiamur ab ejus ortu. Mihi quidem, Jovis femur, infante Baccho tumens intuenti, & à pondere claudicans, hominem videre videor, vino pressum ac gravidum; nec enim solùm claudicat, verum etiam titubante gressu, se agit demens, quo vinolentus rapit impetus.

Ful-

Fulgura inter, tonitruaque extrahitur è Semeles matris alvo Bacchus: Et educitur vinum è dolio inter rixas, clamores, ac jurgia.

Naïades, Nymphæ fluviorum ac fontium Bacchum educarunt, ut merum aquâ diluendum esse doceant.

Puer æternus, Bacchus est; Num vel ipsi repuerascunt à vino Senes? Num rationis usum iis eripit, qui compotationibus indulgent liberaliùs!

NUDUS est Bacchus: Et ille nudus, qui pergræcando, mentem exuit; nihil ille tegere, dissimulare nihil potest; quippe, *in vino veritas*: Arcana quævis aperit, etiam pudenda, Noëmo teste. Erasm. in adag.

CORNUTUS est, ut testatur ille.

Accedant capiti cornua, Bacchus eris. Ovid. in Ep. Saphi.

An Cornutos Bacchus pauciores, quàm Venus efficit? Si dubitas audi poëtam.

Cura fugit multo, diluiturque mero. Idem de art.

Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit. Porphyr. in 2. car. Hor.

Audaculos nempe, ac protervos, trucesque reddit vinum, vel ipsos pauperes. Quanquam non sum nescius, putare quosdam, Cornutum dici Bacchum à poculis, quæ primis temporibus, cornua erant; unde κρατὴς, *poculum*; quasi κεράσης à κέρας, *cornu*. Lil. Gyr.

HEDERA coronatur; quod planta hæc, semper virens ac florens, & velut juvenis, ut Bacchus; nativo frigore, ebrietatis æstum temperet.

ADOLESCENS, & Senex; quia nimirum crescit à Vino robur, modò adhibeatur moderatio; Idemque vires exhaurit, si extra modum hauriatur.

FOEMINÆ, Bacchi sacra fermè curant, sed furiatæ, sed lymphaticæ, sed ad omne nefas projectæ. Sic viriles emollit animos Vinum, facitque luxu diffluant. Idem etiam ad furorem stimu-

ſtimulat, inflammat ad iram: ideo Tigres, ac Leones trahunt Bacchi currum.

LARVATI viri, fœminæque Bacchanalia celebrant. Scelus erubeſcunt, ſalva res eſt, non fundicùs interiit pudor, aliquod illius veſtigium ſublarvis latet adhuc, & tegitur, ne obruatur, verbis & factis impudentibus. Quid Vinum? Num larvas objicit? Num perſonatos efficit? Num belluarum mores inducit; & iſtum, in Leonem, illum, in Aprum, hunc, in Suem, Aſinúmve mutat?

HILARIS quandòque Bacchus, (quod penè exciderat calamo) & quandoque moroſus ac triſtis. Quid æquè cor hominis, ac Vinum lætificat? Quid ſuavius vires, animumque reficit, ac ipſa vitis vini parens, uberque naturæ nectareum, ambroſiumque pharmacum? Quo ſumpto,

Ovid. de art. *Tunc dolor, & curæ, rugaque frontis abeſt.*

In vite, vitam hominis eſſe diceres, adeò vitæ grata Vitis eſt; ideò multi, vitæ felicitatem, cum Vite copulant. Et tamen non advertunt cœci; vitæ cunas, ſi Vitis præbeat; præbere contrà, rationi ſepulchrum, & mergi mentem in mari rubro doliorum, dum ſæpius navigatur in poculis: verè cœci, nam tenebras obducit Vinum, tum maximè, cùm ſcintillas, ſtellulaſque elicit ab oculis. Sic, dum jacet corpus mero obrutum, mens plerumque fluitat ſine navi, & natat in ſicco. Sic, qui plus æquo diligit vitem, negligit vitam, Nam à vite plura vitia, quam botri pullulant; plura mala ab illa pendent, quàm racemi. Vin', uſurpare, quæ legis, oculis? Ebrium cerne, vel Ebriam: ò ſordes! Viden ut jactatur caput, ſuccidunt genua, labaſcunt pedes, manus contremiſcunt? ut ſpumat os, ut genæ diffluunt, ut micant lachrymantque oculi, ut incerta verba lingua titubans molitur, ut exhalat guttur teterrimam crapulam! At, quid ago?


MART PATRI PRO
VICTOR



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0090
DFG

ago? Meæ, hoc loco, non sunt partes, afferre vera, sed enarrare fabulas.

MARS.

PALÆOPHILUS. Ut video, pernoctandum nobis erit in hoc loco.

MYST. Pone metum, non prænoctabimus: neque enim tam multus ero in singulis, ac in Baccho, fui. Mars quidem, quem vides proximum, non diu uti spero, nos remorabitur.

Ejus Imago.

PAL. Martem dicis illum, vultu trucem, aspectu ferocem; toto ore habituque terribilem, quem in illo curru equis duobus tracto, aurigante nescio, quâ furibunda fœmina, armis undique tectum cerno, dextrâ vibrante lanceam ut cædem anhelare, ut spirare incendia, ut exitium ac pestem minitari videatur?

MYST. Mars ipse est, Belli Deus, quem etiam expeditum in equo sæpè vidi, flagello, hastâque formidabilem. Ne quid autem, ex illa pictura, te lateat; sic habeto. Equos illos currui junctos, equos non esse, sed *Pavorem* ac *Terrorem*: pone sequentibus *Clamore* & *Irâ*, præeunte verò, discissâ veste, discordiâ. Sunt tamen, qui Pavorem ipsum, Terroremque, Marti pro ministris attribuant. Audi, ut illis imperet. Claud. in Ruff.

Fer Galeam Bellona mihi, nexusque rotarum
Tende Pavor; fræna rapidos Formido jugales.

Quæ mandata, ut primum exhausêre;

----sævit medio in certamine Mavors
Calatus ferro, tristesque ex æthere Diræ:

Et

BELLONA.

Et scissâ gaudens vadit Discordia, pallâ,
Quam, cum sanguineo sequitur Bellona, flagello.

Silius l. 4.

Stat. 7. Theb.

PAL. Ubi Bellona illa est.

MYST. Ipsa est Auriga currûs, Belli Dea, Martis comes, utque aliis placet, illius soror, aut conjux, aut utrumque simul; cui in bella eunti, currum & Equos parare creditur. A bello, ut patet, *Bellona* dicta est: & *Duellona* quoque, à Duello, aut à nomine Græco Βελόνη, *acus*, quam

l. 1. c. 12. à Bellona inventam ajunt. Huic autem Deæ, proprio sanguine Sacerdotes Bellonarii sacrificabant, *sectisque humeris*, inquit Lactantius, *& utráque manu districtos gladios exerentes, currunt, efferuntur, insaniunt.* Quibus sacris peractis, putabantur futura prædicere. Bellonam inducit Claudianus, *pectentem hydros.* Sic verò, illam describit alius.

Juvenal. Sat. 4. & Lucian. l. 1 in Eutrop.

Sil. l. 5.

Ipsa facem quatiens, & flavam sanguine multo
Sparsa comam, medias acies, Bellona pererrat.
Stridit tartareâ nigro sub pectore Dirâ
Lethiferum murmur.

Alex. ab Al. l. 3. c. 12.

Ante hujus Deæ templum, columna fuit, quæ dicebatur *Bellica*, supra quam jaciebat hastam Fecialis, bellum indicens.

Martis Genus.

Homer. Ilid. 5. Hesiod. in Theog.

Jovis, Junonisque filius dicitur; etsi Ovidius solâ Junone natum fabuletur. Cùm enim inquit, demirari satis non posset, qui potuisset, fieri, ut Jupiter maritus concepisset Minervam, ac procreasset ipse solus; (ut dicetur in Minerva) ubi collegit à stupore animum, simile quid affectans, animoque volutans, ad Oceanum se confert, exquisitura ejus consilium, num videlicet, & ipsa posset sine viro suscipere prolem. Ibat ergò, cùm ex itinere fatigata, ad fores Deæ Floræ, fortè considet, quæ, cognitâ itineris suscepti causâ,

causâ, bono Junonem jubet esse animo; & habere se florem unum in horto suo, quem si vel attingat primoribus digitis, ex ejus odore, concepturam filium illico. Itaque introducitur; flos indicatur, illum Juno tangit, & Martem concipit: qui deinde, uxorem duxit *Neriam*; seu *Nerienem*, sic dictam, quòd voce Sabina, *Virtus*, ac *Robur*, eo vocabulo significetur; unde Claudia Familia, *Neronis* nomen desumpsit. Vid. Cerd. 8. Virg.

Martis Nomina.

MARS dictus, quòd maribus in bello præsit, & à poëtis, *Mavors* nuncupatus, quòd magna vertat. Varro de L. lat.

"Ἄρης, Græcè nominatur, ἀπὸ τοῦ ἄιρειν, *à tollendo*, vel ἀναιρεῖν, *interficiendo*. Aut à verbo ῥῶ, ῥώσω, & α, privante, inquit Suidas, ὅτι ἐν τῷ πολέμῳ ὁ λόγων οὐκ ἔργων χρεία, *quod in bello necessaria non sint verba, sed facta*. Unde autem dicatur "Ἄρης, ab hoc certe, celeberrima illa, *Areopagus*, & *Areopagita*, fluxere nomina. Areopagus, Ἄρειος πάγος, id est, *Martis Pagus*, aut *Collis*; locus fuit Athenis, in quo primum Mars ipse, accusatus de cæde, & incestu, quod Halirothium Neptuni filium occidisset, ejusdemque filiæ Alcippæ stuprum obtulisset, causam dicere coactus est, coram Diis duodecim: sexque sententiis absolutus est: Ibidemque deinceps judicia exerceri cœpta, rerû duntaxat capitalium, aut ad religionem pertinentium. *Areopagitæ* verò, ipsi Judices erant, quorum tanta erat integritas, ea æquitatis opinio, ut nemo, in eorum collegio censeri posset, qui non prius anteactæ vitæ rationem reddidisset publicè, à nemine, ulla in re, reprehensus. Actores, autem, ne verborum illecebris fucum facerent Judicib⁹ tenebantur, sine ullo prorsus orationis ornatu, agere causas; secus si facerent, statim jubebantur tacere: Præterea, ne reorum miserabili aspectu Cic. 5. de nat. Phurnut. Pausan. in Attic. Budæ. in Pandect.

aspectu commoverentur, noctu semper, ac sine luminibus, jus dicebant; summoque silentio, tabellâ, hoc est, non voce & apertè, ferebant sententiam; unde in parœmiam illud venit, *Areopagita taciturnior.*

Cic. ad Attic. l. 1.

GRADIVUS, appellatus, *à Gradiendo;* vel, ab hastæ vibratione; quod Græci dicunt κραδάινειν.

Serv. in 1. Æn.

QUIRINUS, è Sabina voce, *Curis*, seu *Quiris*, quæ hastam significat; unde *Securis*, quasi *semicuris*, & hasta brevior. Idque nominis postea Romulo, ipsius Martis, ut creditum est, filio tributum est, ex quo Romani *Quirites* dicti. Cæterùm cùm Mars sævit, *Gradivus*, dicitur; *Quirinus* autem, cùm tranquillus est. Erantque Romæ duo Martis Templa; unum intra urbem, Quirino Marti dicatum, quasi Custodi urbis tranquillo; alterum extra urbem, prope portam, Gradivo, quasi Bellatori, hostiumque propulsori, consecratum.

Ser. l. Æn

Serv.

SALISUBSULUS, à priscis Latinis, à saltitando, ob inconstantiam & levitatem indolis, quòd in bello, modò in hanc, modò in illam inclinet partem. Ex quo, *Martem belli communem* dicimus, significemus incertos esse præliorum exitus, ancipitesque pugnarum casus. Nec solùm Mars, inter Deos belli communes, sed etiam Bellona, Victoria, Sol, Luna, & Pluto numerari solent. Hinc ille mos, apud Lacedæmonios, irretiendi pedicis, Martis simulacrum, ne videlicet ab iis avolaret aliò. Indidem, institutio *Saliorum* apud Romanos, Martis sacra curantium, & obeuntium urbem, saliendo, Anciliaque circumferendo.

Pacuv. ap. Nonn.

Cic. l. 6. ep. 4.

Serv. in 11. Æn.

ENYALIUS, ab Enyo, seu Bellona: aliaque hujusmodi, quibus recensendis, non est operæ pretium, diutiùs immorari.

Vid. Lil. Gyr.

A Mar-

A Marte Gesta.

Mirum est, quòd à mirabili hoc Belli Deo, nihil factum, Poëtæ fingant, præter hoc unum, quod involvendum tenebris putarem, nisi Solis illustratum luce fuisset, ejusque fœdo sub cortice, fructuosus lateret sensus. Notum pueris, adulterium Martis cum Venere; (ex quo *Hermione* nata, tutelare Numen, ut ait Plutarchus) sic enim Ovidius canit. In Pelopida.

Fabula narratur, toto notissima cœlo
Mulciberis, capti Marsque Venusque, dolis.

Utrumque enim in scelere cùm deprehendisset ipse Sol, & Vulcano, Veneris marito, rem indicasset, hic rete ferreum fecit, tetenditque in lecto Veneris, adeò exile ac tenue, oculorum ut aciem fugeret. Redeunt paulò post Adulteri ad flagitium; induunt se in laqueos, Vulcani monitu, Dii omnes convolant ad turpe spectaculum, *certantque illudere captis.* Diù sic expositi risui, Vir. 2. Æn. sibilisque omnium, Neptuni tandem rogatu, solutis vinculis, eos sinit Vulcanus, abire liberos. Solus Alectryo, adolescens Marti charus, pœnas tulit irroganti meritas: Quod enim excubias agens ad fores, indormiisset, suâque somnolentiâ, Soli patefeciisset aditum, in avem sui nominis, Alectryonem, seu Gallum, qui Græcè, Ἀλεκτρυὼν dicitur, à Marte mutatus est. Unde factum, ut gallus etiamnum hodie, veteris negligentiæ memor, Solis adventum, cantu suo prænunciet.

Hujus fabulæ Sensus.

Enucleemus fabulam. Adulterium, cui magnam, heu! nimium sæpe datam sam, Venus Vulcano nupta, hoc est, formosa mulier, viro deformi copulata: Adulterium, inquam, & quodvis aliud turpe facinus, tenebris condatur licèt;

plusquàm Cimmeriis, adhibeantur excubitores, fœdique voluptatum administri quàm fidelissimi; & latebræ quærantur, aliaque integumenta criminum; Solem tamen non arcebit divinæ Justitiæ, patebit in clarissima luce nefas, & superis inferisque explodentibus, & exprobrantibus, producentur in medium scelerati, quos irretivit conscientiæ vinculis, Vulcanus, Dæmon, fabricator fulminum veri Jovis; minasque illas, etiam in hac vita audient ac sentient Davidi olim intentatas. *Tu fecisti abscondite; ego autem suscitabo super te malum, in conspectu omnis Israël, & in oculis Solis hujus.* Sed jam redeamus ad Martem, aut potius ad Martis filium, mali corvi, malum Ovem; qui patris exemplo didicit agere turpiter.

2. Reg. c. 12.

Ovid. 6. Metam.

TEREUS est, quem è Bistonide Nymphâ, Mars susceperat. Regnabat ille apud Thraces, cùm Prognem, Pandionis Athenarum Regis, duxit uxorem. Progne huic, soror erat Philomela, Athenis degens apud patrem, virgo, formâ & pudore nulli cedens. Ejus videndæ desiderio ardens Progne, Tereum rogat conjugem, sororem ut ad se deducat. Hic, votis uxoris obsequens, Athenas proficiscitur, Philomelam, bonâ patris veniâ, ad Prognem ducit; ejusque amore incensus ad amentiam, in itinere reluctantem opprimit, & abscissâ linguâ, trudit in carcerem. Redit dein Tereus ad conjugem, extinctamque in itinere sororem mentitur impudens, fictisque lacrymis, & funebri vestitu persuadet. At Philomela, modum excogitat, quo, linguæ licet expers; sorori nunciet mariti scelus. Nam

--- Grande doloris
Ingenium est, miserisque venit solertia rebus.

Acu phrygiâ, pingit in tela, quàm optimè potest, illatam sibi a Tereo vim; telamque involutam;

lutam; ad sororem mittit, Hæc, ut oculos adjecit ad telam, in furorem accenditur,

Et (mirum potuisse) silet; dolor ora repressit,
Verbaque quærenti satis indignantia linguæ
Defuerant, nec flere vacat, sed fasque nefasque
Confusura ruit, pœnæque in imagine tota est.

Denique ad sororem advolat, domum abducit, clam Tereo; dumque accingit se ad ultionem, adest Itys, filius ejus, adhuc puer, & matris in amplexum ruit. At illa correptum seducens in ædium interiora,

Et Mater, clamantem, & colla petentem
Ense ferit.

Jugulatum in partes secat, & coquit apponitque mox Tereo cœnanti. Ille

Vescitur, inque suam, sua viscera, congerit alvum.

Tum Itym suum accersi jubet. At Progne,

Intus habes, quod poscis, ait. Circumspicit ille,
Atque ubi sit, quærit; quærenti, iterumque vocanti,
Prosiluit, Ityosque caput, Philomela cruentum
Misit in ora patris.

In rabiem actus Tereus, dum stricto ense in sorores irruit; fugientibus, alas addit timor; Progne in Hirundinem, & Philomelâ in sui nominis avem, mutatâ; & ipsum Terea, alatum quoque furor efficit, & in Upupam, quâ nulla fœdior avis est; Itys autem in Phasianum, Deorum commiseratione convertuntur.

Martis Sacra.

Marti Sacra sunt, ex animalibus, Lupus ob ferocitatem; Equus; quod in bello præstet; in 9. Virg. Æn.

volucribus, Picus, & Vultur, ob rapacitatem; & Gallus, propter vigilantiam, quâ virtute milites instructi esse maximè debent: Inter plantas denique, Gramen, quod in urbibus, incolâ & cive, à bello viduatis, hujusmodi planta enasci soleat; uberiusque progerminare putetur, in iis locis, quæ humano sanguine irrigata sunt.

INTER Sacrorum ritus vetustissimos, erga hunc Deum adhiberi solitos, haud scio an sit ullum, literarum monumentis, isto dignius; Nimirùm; *Qui belli alicujus susceperat curam*, inquit Servius, *Sacrarium Martis ingressus, primo, Ancilia*, (Scutorum genus est sacrorum) *commovebat; post, hastam simulacri ipsius, dicens, Mars Vigila.*

In 8. Æn.

DEÆ COELESTES

JUNO.

Ejus Imago.

MYSTAG. Quinque Deos cœlestes contemplatus es; totidem Deas, item cœlestes, quæ subsequuntur, aspice: Atque in iis, Junonem omnium primam, curru vectam aureo, quem Pavones trahunt, corona, rosis liliisque textâ, radiantem, sceptroque conspicuam; Est enim Deorum Regina,

Ovid. 2. Metam. Apulel. l. 10. Vir. 1. Æn

----- *Jobisque*

Et Soror, & Conjux; Saturni, ex Ope, filia, nata in Samo insula, ubi tamdiu mansit, dum virgo fuit.

Apollon. 1. Argon.

PAL. Proh speciem augustam! Quis fulgor Superi! Quæ majestas, quæ venustas oris, quæ membrorum omnium dignitas! Illæ manus, quàm factæ ad sceptrum! Ille capitis vertex, quàm venerandus ad coronam! Oris ille decor, pectorisque


IVNONI REGINAE
IVNONI REGINAE



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0100
DFG

risque decus, quam ad delicias, amoremque rapax! Status ille omnis, & habitus, quàm liberalis & elegans plenusque dignitates, ac laude dignus! At, quænam illa puella est, non invenusta, Junoni adstans, tanquam famula?

IRIS.

MYST. IRIS est, Thavmantis & Electræ filia, sororque Harpyiarum, Junonis addicta famulatui, ejusque Nuncia; ut Jovis, Mercurius; quanquam & Jupiter, illam quandoque misisse feratur, & alii etiam Dii; imò & Furiæ; nec non & Homines. Alata ideo fingitur, ob celeritatem, & Arcu suo vehi. Unde Ovidius de illa sic; Virg. 2. Æn. Nonn. 20. Idem 31. Homer. Iliad. 23. 2 Metam.

Effugit & remeat per quos modo venerat arcus

Illius quoque officium fuit, fœminarum animas; ut Mercurii, virorum, corporale exolvere vinculis, ut patet in Didone, quæ, allatis sibi manibus, cum ægrè ageret animam.

Vir. 4. Æn.

Tum Juno omnipotens longum miserata dolorem,
Difficilesque obitus, Irim demisit Olympo,
Quæ luctantem animam, nexosque resolveret artus.
Ergò Iris croceis, per cœlum roscida pennis,
Mille trahens varios adverso sole colores
Devolat, & supra caput astitit. Hunc ego Diti
Sacrum jussa fero, teque isto corpore solvo:
Sic ait, & dextrâ crinem secat, omnis & unâ
Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit.

Hesiod. in Theog.

Differt autem Iris, à Mercurio, quòd hic vel è cœlo, vel ex inferis nuntius mittatur; illa vero, è cœlo tantùm. Ille ad res pacis sæpius, unde εἰρηνοποιὸς *Pacificator*, dicitur; Iris semper ad litis ac dissensiones, unde Servius dictam *Irim* ait, quasi ἔρις *contentionem*, *litem*, *Deam discordiæ*. Etsi alii ita vocatam putent, ἀπὸ τοῦ ἐρεῖν, à loquendo.

Vid. Ser. in 4. Æn.

Junonis Filii, & Mores.

HEBE. Pausan. in Corinth.

PAL. Quibus liberis Jovem auxit Juno?

MYST. Vulcano, Marte, & Hebe: Quanquam non desint, qui Heben fabulentur, à Junone solâ genitam. Cùm enim antea sterilis esset, simul ac appositas in epulo, quod in Jovis domo celebrabatur, lactucas agrestes comedit, gravida repentè facta peperit Heben: quæ ob eximium formæ decus, Juventuti perfecta est ab ipso Jove, munusque datum ministrandi, eidem Jovi, pocula. Verùm cùm fortè lapsa, inter ministrandum aliquando esset, inhonesto turpique casu, qui risum movit accumbentibus, indignatus Jupiter, abdicavit illam hoc munere; suffecto in ejus locum Ganimede.

PAL. Quo maximè famosa vitio, fuit Juno?

MYST. Zelotypia; cujus unum alterúmve de infinitis exemplum afferro. Io, Inachi filia, adamabatur à Jove, mutuoque fruebatur amore; cùm advertit Juno abesse maritum; & absentiæ causam, haud temerè interpretata, vagam libidinem, extemplò in terras devolat, & locum opportunè petit, ubi delitescebat cum Io Jupiter. Sentit ille adesse uxorem, veritusque objurgationem, puellam mutat in Vaccam candidissimam. Accedens Juno, quærit de Vacca, quæ, aut cujus illa sit, aut quo genita Tauro? è terra recenter natam, respondet Jupiter. At conjux callida, suspicata id, quod erat; illam sibi donari rogat, recusare maritus non audet, ne suspicionem augeat. Acceptam igitur Juno Vaccam,

Ovid. 1. Metam.

----servandam tradidit Argo.
Centum luminibus cinctum caput Argus habebat,
Inde suis vicibus, capiebant bina quietem;
Cætera

Cætera servabant, atque in statione manebant.

Constiterat quocunque loco, spectabat ad Jo,
Ante oculos, Io, quambis aversus, habebat.

Ad molestissimam custodiam accedebat, ut frondibus insipidis, & amarâ pasceretur herbâ. Nec diutiùs indignitatem referre potest Jupiter: Ergo Mercurium allegat ad Argum, Io, ut asserat in libertatem. Ille, pastoritio habitu sumpto, accedit ad Custodem oculatum, & fistulæ cantu sopitum obtruncat.

----- Centumque oculos nox occupat una,
Excipit hos, volucrisque suæ, Saturnia pennis
Collocat, & gemmis caudam stellantibus implet.

Mutat quippe Argum Juno in Pavonem, ejusque oculos intexit caudæ. Io autem furiis exagitandam objicit; quæ in Ægyptum appulsa, orasse Jovem dicitur, pristinæ ut restitueretur formæ; quod impetravit, insuperque Isidis, Ægyptiorum Deæ, nomen accepit, & divinos honores obtinuit.

Alterum Zelotypiæ specimen Juno præbuit illustrissimum. Cùm enim aliquando irata Jovi, simultates cum illo gereret, nec deponere illas ulla ratione vellet, dedit consilium Jovi Citharæron Rex, nuptias tantisper simularet se inire alteras. Arrisit dolus Deo; simulacrum è quercu factum, vestibusque ornatum elegantibus, plaustro imponit, palamque prædicat, ducere se Platæam Asopi filiam: Rumor dissipatur, & ad Junonis aures pervenit, quæ accurrens illicò, irruit in simulacrum, discindit vestes, agnoscit fraudem, & in risum soluta, reconciliatur marito; indeque *Cytheronia*, ab illo Cytherone, dicta est. Ac jam reliqua ejus præcipua recenseamus. Doroth. in 2. narr. fabul. Plutarch. in Arist.

Junonis Nomina.

In Corin. ANTHIA, seu Florida, de cujus templo Pausanias meminit.

Dororh. li. 2. Met. & Paus. ARGIVA Juno, ab Argis, apud quos sacra celebrata in ejus honorem, Ἡραῖα dicta, in quibus, Hecatombe, id est, ex centum Bobus sacrificium fiebat Ejus signum ex auro, & ebore, manu alterâ punicum malum, alterâ sceptrum tenet, cui cuculus impositus, quòd in eam avem se Jupiter verterit, ejus amore captus.

Paus. in Corinth. BUNÆBA, à Buneo Mercurii filio, qui huic Deæ fanum, Corinthi extruxit.

Macrob. in Sat. CALENDARIS, seu Novella, quòd *calaretur*, id est, vocaretur à Sacerdotibus; initio cujusque mensis, quæ *Calendæ* inde dicuntur.

CAPROTINA, cujus festus dies, in nonas Julias incidens, ab ancillis agebatur, apud Romanos. Eoque die, Liberæ pariter & Ancillæ sacrificabant, sub arbore Caprifico, in memoriam Benignæ virtutis, quæ pro conservatione publicæ dignitatis, ancillis injecit salutare consilium. Cùm enim, post urbem captam, sedatus esset Gallicus tumultus; finitimi populi, occasionem nacti Romanos jam afflictos, penitus opprimendi, Feciale ad Senatum misso, postularunt, ut si vellent, reliquias suæ orbis non doloris, Matres familias & Virgines omnes sibi dederentur. Patribus, quid agerent, mirum in modum anxiis, ancilla nomine Philotis, vel, Tutela, communicato Senatui consilio, assumptis cæteris omnibus ancillis, matrum familias, virginumque habitu quasi Dominæ essent, ad hostes transiit. Quæ cùm à Livio hostium Dictatore, in castris distributæ essent, hostem provocarunt vino plurimo, diem festum apud se esse simulantes: quibus somno obrutis, ex Caprifico, dato signo Romanis, omnes contrucidati sunt. Tanti beneficii

Plutarch. & Ovid. de arte. Var. de ling. lat.

cii ab ancillis accepti memor Populus Romanus omnes jussit manumitti, dotemque eis, ex publico assignavit; diemque ipsum *Nonas Caprotinas* appellari voluit, ab illa Caprifico, ex qua signum acceperat; Sacrificiumque annuum Junoni Caprotinæ sub Caprifico instituit, cui etiam Lac, ex Caprifico adhibebatur, ad rei memoriam.

CURIS, seu, CURITIS, in cujus tutela Matronæ sunt; sic appellatur, à ferenda hasta, quæ linguâ Sabinorum, *Curis*, dicitur. Unde Junoni sacra hasta est, inquit Plutarchus; Et multæ ejus statuæ, hastæ innituntur; ipsaque dicitur Dea Quiritis, & Curitis. Hinc ille mos nubentum, crinem hasta comendi, quæ scilicet in corpore gladiatoris, stetisset, abjecti occisique. Fest. ἐν γάμοις. Arnob. 2. contra Gent.

CINXIA, à cingulo, quo cingebatur puella nubens: hujus enim solutio cinguli, auspiciis fiebat Junonis; quæ nuptiarum præses habebatur, Marian. de nupt.

DOMIDUCA, & Interduca à ducenda uxore, in mariti domum. August. 7. de Civ.

EGERIA, à mulieribus colebatur, quòd eam partui egerendo opitulari crederent. Festus.

FEBRUALIS, Februata, Februa, seu Februa; quòd ipsi Februario mense sacra fierent, ejusque feriæ erant Lupercalia; quo die à Lupercis (Sacerdotes erant Panos, Pastorum Dei) nudo corpore per urbem cursitantibus, prægnantiumque mulierum manus, uterosque, amiculo Junonis, id est, caprinâ pelle ferientibus, februabantur, hoc est, purgabantur; Eoque ritu, & fœcunditatem dari, & partum facilem reddi putabant. *Februa* porro dicebantur; quæcunque purgamenti causâ, in quibuslibet adhiberentur, sacrificiis. Ex Sext. Pomp. Ovid. 2. fast. Cic. 2. Phil.

Porrò in sacrificiis Junoni factis, Vacca immolabatur candida, Sus, & Ovis, Anser etiam, & Pavo erant ipsi sacri. Virg. 2. Æn. Idem. 3. Idem. 4. Ovid. Ibi.

FLUONIA, quòd fluoribus menstruis adesset

HOPLOSMIA, hoc est, omni armorum instru-

 Lyl. Gyr.

cta genere apud Elidem culta fuit; unde & Jupiter *Hoplosmius*.

Serv. 4. Æn. Festus. JUGA, à jugo, & conjugiis, Græcè Ζυγία, cujus ara fuit Romæ, in vico, qui ideò *Jugarius* dicebatur; ad quam aram, veteri ritu, nubentes vinculis jungebantur; eam Martianus vocat *Socigenam*, quod nubentes associet.

Strab. l. 6. Liv. l. 24. LACINIA, ab ejus templo, *Lacinii* nomine, à Lacinio conditore sic appellatum.

Varr. de ling. lat. In fast. LUCINA, & LUCELIA, vel à luco, in quo templum habuit, vel à luce, quam infantibus dare credebatur. Utramque significationem probat Ovidius hoc districho.

Gratia Lucinæ, dedit hæc tibi nomina Lucus;
Vel quia principium, tu Dea, Lucis habes.

Liv. l. 7. Suid. Ovi. ep. Parid. MONETA, vel à monendo, quod consulentibus, salutaria monita redderet, vel à pecunia, quod Dea divitiarum credita sit.

Euseb. 3. præp. Evang. Plutar. in Sympos. NUPTIALIS, Γαμηλία, cui rem sacram facientes, sel victimis exemptum projiciebant post aram, ut docerentur Conjuges, nihil bilis & iracundiæ, in nuptiis esse oportere.

OPIGENA, quod Matronis in partu laborantibus, opem ferret.

Pindar. in Hymn. Olymp. in Corint. PARTHENOS, id est, *Virgo*, seu παρθενία, *Virginalis*. Cujus occasione, referam quod Pausanias habet, apud Argivos fontem fuisse, cui Canatho nomen, in quo Juno, quotannis se lavans, virgo fieri credebatur.

Jul. Pollux. l. 3. PERFECTA, seu τελεία, eadem quæ Nuptialis: τέλος enim, matrimonium est, & illud contrahentes, τέλειοι dicebantur. Juno igitur, initis cum Jove nuptiis, *Adulta* & *Perfecta* vocata est.

Aug. l. 6. de Civ. Maero. 6. Sat. POPULONA, seu Populonia, quod eam precaretur populus; vel quod, ex nuptiis, populi procreentur.

PRO-

PRONUBA, à nuptiis, quibus præsidebat: neque enim legitimæ coalescere nuptiæ poterant, quas non auspicarentur ab invocatione Junonis. Senec. in Med.

REGINA, ipsa enim talem se prædicat, apud Virgilium. Æn. 1.

Ast ego, quæ Divûm, incedo Regina; Jovisque
Et Soror, & Conjux.

SOSPITA, *à Jospitando*, seu servando; quòd in ejus tutela essent fœminæ; quibus sua cuique aderat Juno; ut viris, sui Genii. Cic. 2. de nat.

UNXIA, *ab ungendo*; ungebantur enim in nuptiis januæ postes, à nubentibus; undè *uxores*, dictæ, quasi *unxores*. Lil. Gyr.

FABULÆ SENSUS.

Iuno, Aëris Imago.

SI Varronem audiamus, Juno, Terra est; & Jupiter, Cœlum, ex quorum conjugio, Cœlestium videlicet commixtione influxuum halituumque terrenorum, omnia fermè generantur.

At si Stoicis credimus, Aër est Juno, quod ipsum nomen Græcum satis indicat, Ἥρα, Juno, cujus literam primam, si ultimam facias, fiet ἀὴρ, aër, qui *interjectus inter cœlum & mare, Junonis nomine insecratus est*, inquit Cicero. Ideo autem Jovis Conjux, quòd aër ex se frigidus, à Jove, hoc est, ab Igne ferveat: Inde Juno *Aëria* dicta, quod nimirum ipsa sit aër, & in aëre regnet. Hinc etiam illud commentum, quo ferunt, Junonem ab Jove vinctam catenis aureis, incudibusque ferreis ad pedes appensis, in aëre suspensam fuisse, ut significarent, quod aër igni cœlesti conjunctior; duobus deorsum elementis Ap. C. c. 2. de nat. Homer. Iliad. 5. Phurnut.

mentis misceatur, id est, aquæ & terræ, quæ elementa duobus superioribus graviora sunt.

Subdo unum, non prætereundum silentio. Ut viris singulis, sui *Genii*, vitæ præsides adesse credebantur; ita suas præsto fuisse *Junones*, fœminis.

MINERVA, SEU PALLAS.

PAL. Minas intendit Dea hæc, terroremque denunciat.

MYST. Nimirum, Minerva est, quam, à *minis*, quas tollere videtur, torvoque illo ac truculento aspectu, *Minervam* dictam esse, nonnulli putant.

Ejus Imago.

Apoll. l. 90.

PAL. Quorum autem, mundi loco muliebris, armorum ille spectat apparatus? Cur illa Cassis aurea, & in casside, cristæ rutilantes? Ad quem finem Lorica ærea, quâ tegit pectus, & Lancea, quam dextra vibrat, Scutumque horrificum, quod læva attollit, capite serpentibus hirsuto formidanda? Quid denique adpictus ille Gallus Gallinaceus, & Noctua sibi voluit?

Virgil. 11 Æn. Cic. 3. de nat. D.

MYST. Faciam, nihil ut eorum, quæ percunctaris, te lateat. Armatam esse decuit, non comptam muliebriter, quia Belli præses, & Inventrix est. Gallus, quia pugnax avis est, ei sacer habetur; sæpeque pingitur Cassidi insidens, ut etiàm Noctua, de qua, mox. Illud verò caput anguibus horribile, quod non tantùm in Ægide, seu clypeo



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0109
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0110
DFG

clypeo gestat, sed aliquando etiam, medio in pectore, Medusæ caput est, unius de Gorgonibus, de quo, ita Virgilius. Æn. 8.

Ægidáque horrificam, turbatæ Palladis arma
Certatim squammis serpentum, auroque polibat;
Connexosque angues, ipsamque, in pectore Divæ
Gorgona, desecto vertentem lumina collo.

Sed non advertis, credo, Coronam Oleaginam, in hujus Divæ capite?

P. Fugerat oculos, nec vero video, cur Belli Deæ tribuatur Olea, quæ Pacis est symbolum. Sic enim legere me, apud Maronem, memini.

Paciferæque manu ramum prætendit Olivæ.

M. Imò, quia Pacis est symbolum, Bellorum Deæ, debuit, adscribi; neque enim Bella fiunt, nisi ut Pax consequatur. Alia tamen causa est, cur Oleam gerat, ejus enim usum, prima hominis docuit, obtinuitque propter illam, ut clarissimæ urbi, à Cecrope recenter conditæ, nomen imponeret suum, *Athenasque* diceret (Minerva enim Ἀθηνᾶ Græcè dicitur) victo Neptuno, qui cum illa certaverat, eâ lege, ut qui præstantius utiliusque munus contulisset, novæ Civitati nomen daret: Atqui Olea, quam Minerva, derepentè è terræ gremio produxit, & obtulit, utilior multò judicata fuit Equo, quem Neptunus viciſſim pro munere suo detulerat. Plutar. in Themist. Herod. in Terpsich.

Minervæ Genus.

Cùm quinque ferantur Minervæ, de illa una hîc sermo est, ad quam referuntur reliquæ, Jove nata. At, quo pacto nata? Dicam, si nescis, sed cave rideas. Jupiter Junonem suam videns sterilem esse, frontem (præ dolore, credo,) feriit, & Minervam peperit, non statim, sed tertio Cic. 3. de nat.

tio post mense, unde *Tritonia*, ut placet aliis quibus, dicta est, quasi, τριτόμηνις. Adhibui autem prægnans, cerebroque parturiens Jupiter, non obstetricem, sed Vulcanum, qui securi in frontem impacta, patefactoque aditu ingenti, puto, stupore defixus est, cùm puellam, non nudam tenellamque, sed armatam viraginem aspexerit, è capite paterno prosilientem. Totidem certè ferè verbis, id Ovidius asserit, de Minerva scribens.

Lucian. in Dial. Deor.

----- *De capitis, fertur sine Matre paterni*
Vertice, cum clypeo prosiluisse suo.

Addunt alii, concepisse Jovem, postquàm METIN, de uxoribus suis unam, devorasset, ex quo cibo factus extemplo gravidus, armatam Palladem enixus est.

Hesiod. in Theog.

Porrò aurum pluisse in Rhodo insula natâ Minervâ, ferunt, & hoc Claudianus notavit

Strab. l. 14.

Auratos Rhodiis imbres, nascente Minervâ,

Ejusdem Nomina.

Ipsa primò propria, *Palladi* ac *Minervæ* nomina investigemus, unde orta sint.

MINERVA, inde *dicta*, ait Cicero, quòd *vel minuit, vel minuatur.* Verè siquidem, cùm belli sit Dea, minuit mortalium numerum & capitibus familias, & civibus urbes. Vel à *minando*, ut jam dixi, quasi vim minetur, incutiatque intuentibus metum. Vel, à *monendo*, quod benè moneat, cum Dea sit Sapientiæ. Imò & ipsa Sapientia vulgò habita est, unde manavit tritum omnium sermone adagium, ὅς Ἀθηνᾶν, *Sus Minervam*, subaudi, docet, vel, monet. Quo utimur, quoties indoctus aliquis, eum conatur docere, a quo docendus sit ipse potius. A Minerva, fit Minerval, seu Minervale prœmium, Magistris exhiberi solitum, Græcè διδακτρον. Ἀθηνᾶ, Græcis Minerva est, ἀπὸ τοῦ θηλάζειν, mammam lugere, & α, privante particulâ, quòd'

2. de nat. Cornifici. ap. Gyr. Festus. Cic. 9. Epist. 18.

quòd videlicet, mammam ei opus non fuerit appetere, cùm adulta è patris capite nata sit; indéque appellata ἄμητορ, & ἀμήτωρ, id est, *Matre carens*. Plato Ἀθηνᾶν, dictum putat, quasi θεονόην, & ἰθενόην, hoc est, *quæ divina cognosceret*. Alii à θήσασθαι, *servire*, & α privante, quòd Sapientiæ studiosus, servituti non sit obnoxius; ex illa Stoicorum sententiâ apud Tullium: *Liberum esse neminem, nisi Sapientem.* Pollux. Phurnut. In cratelo. In Parad.

PALLAS, ἀπὸ τῦ πάλλειν τὸ δόρυ: *à vibrandâ hastâ*, quòd eam in bello vibret ac intorqueat: vel, à *Pallante* quodam Gigante, quem occidit: vel, quòd in Pallante palude primùm visa sit. Jam ad cognomina transeamus: & ex innumeris ignobilibus, ac nullius fermè momenti; tria, quatuorve seligamus: postquàm de Palladio pauca. Servi. in 1 Æn.

PALLADIUM, Palladis erat simulacrum in arce Trojana diu servatum, quod eo tempore, quo arx, Templumque Minervæ ædificabatur, de cœlo cecidisse fertur; atque in templo nondum tecto, locum sibi delegisse. Quæ res, cùm omnibus admirationem moveret, ab Apolline responsum est, urbem tamdiu fore incolumem, quamdiu statua illa intra mœnia servaretur. Itaque tempore Trojani belli, cum oppugnaretur à Græcis urbs, nec spes esset illius expugnandæ, nisi priùs sublato Palladio, datum est Ulyssi negotium, & Diomedi; ut per cloacas in urbem irreperent, & fatale simulacrum auferrent: quo facto, nullo labore capta Troja est. Ajunt nonnulli, nemini fuisse licitum, Palladium loco movere, imò ne intueri quidè. Addunt alii fuisse lineum, itaque mirabile ut oculos moveret, vibraretque hastam. Alii contrà, confectum fuisse ex ossibus Pelopis, & à Scythis, Trojanis venditum. Captum à Græcis, recuperavit deinde Æneas à Diomede, & in Italiam transtulit, Ovid. 5. Fast. Herodian. l. 1. Plut. in Paral. Serv. in 2. Æn. Clem. in Protrep.

serva-

Dion. Hal. l. 1. Antiq. servatumque Romæ fuit in templo Vestæ, ut pignus imperii, sicut Trojanis fuerat. Alii denique scribunt duo fuisse Palladia, quorum alterum Diomedes, alterum Æneas abstulit.

Homer. in hymn. in Vener. PARTHENOS Minerva, id est, *Virgo*, Athenis in arce culta, summa religione; ejusque Templum, dictum *Parthenon*. Fuit enim perpetua Virgo, Minerva; quemadmodum & ipsa Vesta, ac Diana; itáque castitatis amans, ut cùm fortè, lavans, in Heliconidis fonte, conspecta fuisset à Tiresia quodam, illum oculis orbarit illicò. Ab ea tamen, imperavit postea infimis precibus, Tiresiæ mater, ut pro lumine corporis, mentis splendorem, & artem divinandi, filius obtineret. Non me præterit, aliam cœcitatis causam afferri ab Ovidio; fuisse nimirùm ideò luminibus à Junone privatum, quòd cùm occisâ serpente fœminâ, factus ipse fuisset fœmina; septemque post annis, interfecto serpente mare, vir denuò evasisset; electus à Jove & Junone judex jocosæ cujusdam, parùmque honestæ controversiæ, secundùm illum sententiam tulerit.

Hom. l. 10 Odyss.

l. 3. Met.

Illustre fuit hoc alterum castimoniæ exemplum in Minerva, quòd cùm Medusam formâ eximiam, sed capillis præsertim aureis præfulgentem, in ipsius templo Neptunus compressisset; capillos, flagitii illecrebram, mutavit in angues; effecitque, ut eâm posthac intuentes, verterentur in lapides.

Nat. Com. l. 7. c. 18.

Pausan. in Bœot. l. 9. TRITONIA Minerva, à Tritone Palude, ubi educata est; de qua Lucanus ita cecinit.

Hanc & Pallas amat, patrio quod vertice nata
Terrarum primam Lybien (nam proxima cœlo est,
Ut probat ipse calor) tetigit, stagnique quietâ
Vultus vidit aqua, posuitque in margine plantas,
Et se dilectâ, Tritonida dixit, ab undâ.

Vel.

Vel, ita dicta est, quia nata ex capite, quod Bœoticè aut Æolicè τρίτων, vel τρίτα dicitur. Priùs tamen, quàm discedamus ab illa palude Tritonide, Accipe, quæ ad ejus oram, gerebantur, à circumjectis populis, in honorem Minervæ. Confluebant ad illius festa solemnia finitimæ urbes, spectaculoque intererant hujusmodi. Ejus regionis Virgines, in varias distributæ turmas, fustibus, lapidibusque armatæ, mutuis, dato signo, sese impetebant vulneribus; hac conditione, ut, quæ omnium prima, necaretur, non censeretur Virgo, ideòque ignominiosè illius cadaver projiciebatur in aquam; quæ vero plures, magisque luculentas accepisset plagas, perstaretque nihilominùs, constans & infracto animo, deducebatur in suam domum quasi in triumphum, curru sublimis, laudibus eam prosequente universo cœtu. Herodot. in Melpo.

Ἐργάτις id est, Operaria, à Samiis colebatur, quod variarum artium inventrix fuerit, præsertim lanificii, ut Poëta docet. Ex Heys. Ilid. l. 10. Ovid. 6. Metam. Virg. 7. Æn.

---- Nonilla, colo calathisve Minervæ,
Fœmineas assueta manus.

Colus enim, ejus inventum est, sic, ut ipsum Minervæ nomen, huic sæpe attribuatur operi. Ita enim legimus, Theocrit. Ecl. 34.

Cui tolerare colo vitam, tenuique Minervâ. Virg. 8. Æn.

Quantumvis autem hac arte præstaret, Pallas, ausa est Arachne, puella Lydiæ, lanificii peritissima, in contentionem cum Dea venire, & provocare illam ad certamẽ; at magno suo malo; illius enim Ovid. 6. Metam.
tupit opus Dea, & radio, quem manu tenebat,

---- Frontem percussit Arachnes.
Non tulit infelix, laqueoque animosa ligavit
Guttura, pendentem Pallas miserata levavit.
Atque ita, Vive quidem, pende, tamen improba, dixit.

Quibus dictis, in Araneam versa est Arachnes,

Et antiquas exercet Aranea telas.

Ædificandi quoque artem invenit, excitandarum præcipuè arcium, quibus propterea præfidere credebatur.

l. 34. c. 1. 2 MUSICA Minerva, etiam dicta est; Quoniam *Dracones*, inquit Plinius, *in ejus Gorgone, ad ictus citharæ tinnitu resonabant.* Prælertim autem, quòd Tibiarum usum excogitarit, quibus cum aliquando caneret ad fontis ripam, vultumque in aquis esset intuita, ab tibiis inflandis, fœdiorem; illas projecisse dicitur.

Ovid. *I procul hinc, dixit, non est mihi Tibia tanti,*
Ut videar vultus, Pallas in amne suos.

Pausan. in in Attic. GLAUCOPIS Minerva, seu glaucos, cæsiosque oculos habens, hoc est coloris viridis albo temperati, haud dissimiles noctuæ oculis; ex qua id nominis (est enim γλαὺξ, γλαυκὸς, Noctua) traxisse creditur. Alii contra ita dictam

Phurnut. volunt, non quòd reverà, glaucos haberet oculos, sed quòd truci ac formidoloso esset aspectu; quo sensu, Leones, & Dracones, *glauci* & *cæsii* dicuntur.

Æschyl. in Eumenid. PYLÆTIS, ἀπὸ τῆς πύλης, *portæ*, quòd in portis urbium, ædiumque januis pingeretur, aut collocaretur ejus effigies; ut in suburbiis, Imago Martis; ad significandum, armis, rem agendam esse foris, & submovendum ab urbe hostem: At in urbe, utendum non Martis, sed Minervæ operâ, hoc est prudentiâ, consiliis, & auctoritate temperandam rempublicam.

FABULÆ SENSUS.

Pallas, Sapientiæ, & Castitatis Symbolum.

Cic. 1. off. PALLADIS, seu Minervæ fabulâ, *Sapientiam*, adumbrare voluerunt Poëtæ, hoc est, cognitionem ac scientiam rerum omnium cum

cum considerata, prudentique actione conjunctam; itemque optimarum artium intelligentiam, cæterasque ingenii dotes, virtutumque decora, ac præcipuè castitatem. Nec sanè sine causa.

Primum enim, Jovis capite Minerva fertur edita; ut ostendatur, humaniorum literarum disciplinas, humani ingenii non esse inventum; sed è cerebro Jovis, id est, ex inexhausto Divinæ Sapientiæ fonte, ad hominum usum esse depromptas. Nec disciplinas tantum & artes, sed præstantissima quæque virtutum munera, ex eadem origine dimanare.

2. ARMATA Pallas, in lucem venit: Quia Sapientis animus, magnitudine consilii, virtutibusque omnibus, ut mœnibus septus, vinci nec expugnari potest; optiméque contra fortunam paratus, & armatus, interritum se præstat periculis, infractum malis adversis, calamitatibus inexpugnabilem. Quemadmodum enim, non colliquescit Jupiter, quod ajebat ille, dum simulacrum ejus liquefit; sic Sapientis animus, ad quoslibet adversæ fortunæ casus, obdurescit. Cic. in parad. Senec.

3. VIRGO est, ut Musæ quoque feruntur esse Virgines; Quia mundis corde, propriè conspectus Dei promittitur; adeo, ut apud Ethnicos etiam, opinio esset, posse pudicis oculis Deos videri. Quin & videtur natura docere in apibus voluisse, quàm benè ingenium ac solertia, cum integritate consentiant. Magno certè Nazianzeno (ut de sanctis viris ac fœminis, Joanne Evangelista, Catharina Virgine eâdem ac Martyre, S. Thoma Aquinate, aliisque taceam) pariter videndas sese, habendasque Sapientia & Pudicitia, formâ & habitu Virginum, obtulerunt. Nyss. de Virg. c. 4. & 5. Serv. in 2. Æn.

3. FEROX Vultu, trucique obtutu: quia sapientem, caitamque non decet mentem, accersere commendationem â forma corporis, & oculorum lenociniis, amorem colligere. Sapientia

quippe, pudicitiæ juncta fucos exosa, perinde fulget squallore obsita, ac radiis redimita gloriæ: Ipsi non minus venustatis inest, viliori vestitæ panno, ac dum coruscat splendore purpuræ; tantùmque majestatis habet, in cœno jacens, ac throno insidens; nec blandiùs in adolescente lectissimo, quàm in decrepito strigosoque sene renidet.

Liv. l. 1. 5. LANIFICIUM invenit, exercuitque. Propria hæc Virginum laus esse debet, si pudicæ diu esse velint, non indulgere otio, nusquam cessare, lanificio assiduam dare operam? Lucretiæ exemplo, matronæ castissimæ, quam nocte serâ, lanæ deditam, inter lucubrantes ancillas, in medio ædium sedentem invenerunt Regii Juvenes.

6. COLUS, Palladis inventum est. Pudicæ fœminæ arma sunt colus & fusus. His instructa, modestiæ ridebit hostem, cupidinemque, ceu catellum procul abiget. Idcircò in Nuptiali Pompa, Colus olim præferebatur cum fuso, antè Sponsam, cùm deducebatur in viri domum: Et alicubi mos est, cum eodem colo, fusoque, Mulieris inferre sepulchro.

7. TIRESIAS, Minervam, simul ac aspexit nudam, amisit oculos; in pœnámne, an in præmium; Sanè acutius vidit nunquam, ut qui futura multò ante præviderit, vates exinde factus: Illustri documento, qui semel nudam vidit Sapientiam, hoc est, qui ejus pulchritudinem propiùs clariúsque intuitus est, carere illum libenter usu oculorum, nec corporearum rerum aspectu delectari, aut amore præsentium; verùm, eorum loco, futura longè prospicit, æternaque animo intuens, rerum cœlestium, & eorum, quæ non videntur, contemplatione perfruitur.

8 NOCTUA, Minervæ simulacris adpingitur, avis ei sacra, in tenebris videns, Sapientis symbolum, qui disjectis ignorantiæ tenebris, errorumque


VENENPICTRICI
S C
CENEIRIX



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0120
DFG

rumque dissipata caligine, ea videt dispicitque perspicuè, in quibus alii cœcutiunt.

9. Palladium, ejus imago, fatale urbium, in quibus custodiebatur, præsidium ac Pignus, quid significat aliud, nisi Sapientiæ præsidio, administrari, ac florere respublicas? E cœlo, lapsum illud esse fingitur, quivis ut hinc intelligat, quod oraculo divino confirmatum est; *Omne donum optimum & perfectum, desursùm esse, descendens à Patre luminum.* Jac. Ep. 1. c. 1.

His attexo Epigraphen, aureis literis, apud Ægyptios, olim visendam in Minervæ templis, quæ sic habet: *Ego sum, quæ sunt, quæ erunt, quæ fuerunt, Velum meum revelabit nemo. Quem ego fructum peperi, sol est natus.* Quæ verba, quod mihi videantur fœta mysteriis, & fœcunda sensis, cuivis pro suo sensu interpretanda lubens relinquo. V. Lil. Gyr. Synt. 11.

VENUS.

Ejus Imago.

MYSTAGOGUS, Adverte jam oculos ad suaviora spectacula. Intuere Deam illam, cujus in ore sedent colluduntque gratiarum puriores illecebræ; cujus in fronte rident, volitantque lepôres, risus, & gaudia; cujus in argenteo sinu, festivitates, amores, & amœnitates blandè luxuriant. Vides, ut glorioſa tumet, ut se circumspicit, collumque erigit, deliciasque spirat, mollitiéque diffluit: ut roseo refulgens diademate, purpuream trahit, gemmisque illuminatam, cùm ostentatione lasciviæ, defluentem luxuriâ chlamydem: ut latera stipant gemini Cupidines, ternæque Charites circumstant: ut ponè sequens Adonis, ephœbus elegantulus, exundantem Deæ laciniam delica- Philostr. l. 2. Imag.

Ovid. Met. 15. Apul. l. 6. Horat. 3. Od. Ovid. 10. Met.

tè colligit. Vacuus præstò est currus ex ebore, in conchæ modum pulchrè figuratus, quem vel Columbæ trahant, vel Cygni, vel etiam Passeres, si Venus innuat, & inscendere illum velit.

PAL. Venerem dicis? Illáne Venus est, Amoris Dea, Meretricularum Patrona, libidinum impurissimarum Architecta pestilens, stupris adulteriisque famosa, incestibusque celeberrima?

MYST. Ipsa Venus est; quam honestiori nomenclaturâ, Deam appellant Gratiarum & Elegantiæ, Venustatis ac Pulchritudinis, Delitiarum & Hilaritatis; verè tamen, ut ais, obscœnarum est voluptatum Præses impudica, & Magistra impudens.

PAL. Quorsùm ergo, tam augustâ resplendet specie? Cui habitu ita decoro radiat? Quid est, quod non sues potiùs, canes aut hirci, ejus currum trahant, quàm Cygni; ac Columbæ, aves purissimæ; Ipsaque non est cincta Furiis, dirisque larvis, potiùs quàm Gratiis.

MYST. Quid facias: Sic vivebatur olim, apud cœcos mortales: Is erat mos, ut sceleribus ponerentur Aræ, sordesque thure colerentur, & flagitiis quasi gradibus, iretur in cœlum. Verùm, his temporum querelis, supersedeamus, & veniamus ad Venerem.

Illam alibi videre licebit, alio, nec uno modo pictam. Sæpè puellæ refert speciem, è mari emergentis, & conchâ vectæ: sæpè Mulieris tenentis manû conchani, cincto rosis, aliisque floribus capite effigiem præfert: Argenteum gestat aliquando speculum: sandaliis nitet, inauratis, aureisque fibulis. Apud Sicyonios colebatur, alterâ papaver, alterâ malum habens: eique omnium victimarum, suibus exceptis, femora consecrabant. Sues enim, cane pejûs & angue, Venus oderat, ob spurcitiem nimirum, ipsa

Philostr. in Imag.

Pausan. in Corinth.

ipsa licet spurca magis; aut potiùs, quod Adonidem, suas delicias, aper olim occidisset. Apud Eleos autem, visebatur Veneris simulacrum, pede Testudinem, calcantis, ut virginibus innueretur, non decere illas evagari foras; Nuptis autem & servandum silentium, & domi manendum, & gerendam esse curam rei domesticæ. Eidem attribuêre Cestum (unde *Incestûs* nomen quidam ducunt) seu Cingulum ac Baltheum coloris multiplicis; in quo, suavitates, illecebras, lenocinia que omnis generis, inesse credebant. Ipsam Sagittis armant nonnulli: Et PITHONEM adjungunt comitem, quæ Suada est, Eloquentiæ Dea.

Plut. in præc. connub. & l. de Isid. & Osir.

Homer. Ili. ξ.

Eurip. in Medea. Ex Phurn.

Veneris Genus.

Veneres quatuor fuisse ajunt, variis proinde natas parentibus: At Venus hæc, de qua hic sermo, omnium celebratissima, & cui vulgò adscribuntur cæterarum decora aut probra, è maris spumâ orta dicitur, quam excisa Cœlo Deo, aut ejus filio Saturno genitalia, in undas projecta effecerant; ex quo Ἀφροδίτη nominata est, ἀπὸ τῆς ἀφρῆς, à *spuma*; vel, ut alii malunt, ἀπὸ τοῦ ἀφρᾶίνειν, *ab insaniendo*. Sic edita, & in concha, unionis instar, velut in cunis jacens, devehitur à Zephyro in Cyprum insulam. Appulsam Horæ susciptunt, gremio fovent, educant, comunt, ornant; jamque adultam cœlo invehunt, & offerunt Diis, qui ejus pulchritudine, & amore capti; certatim, sibi illam quisque uxorem expetunt; uni tamen Vulcano despondetur, nuptuiq; traditur.

Cic. 3. de nat.

Hesiod. in Theog.

Ex Eurip. & Phurn. Homer. in hym. ad Ven.

Veneris Nomina.

NOMEN Veneris proprium, priùs indagemus. Venus, *à Veniendo*, dicta est, quòd ad omnes res veniat, inquit Tullius: vel, quòd per eam omnia proveniant, ac progignantur: vel,

2. de nat.

9. de nat. ut ajunt alii, Venus, quasi *Venusta*; est enim venustatis Dea: vel, appellata Venus, quasi *Adventitia*: Hæc quippe Dea, culta primum ab Ægyptiis, inde ad Græcos translata est, & à Græcis ad Romanos; apud quos, quæ à Græcis erant profecta, *transmarina* & *adventitia* dicebantur. Sic enim Tullius, Græcorum Doctrinam, *Transmarinam* vocat & *Adventitiam*. Transeamus nunc ad cognomina Veneris, quorum primum est

Pausan. in Attic.

Ex Apollod. & Hesych. Festus. AMICA Venus, Ἑταίρα, ab Athenienſibus colebatur: ſic dicta, quòd Amicos & Amicas, jungeret. Nomen autem illud, in bonam malamque partem ſumitur: Amicas, enim Græci πόλας vocant, & Scorta quoque, πόλας Veneris nuncupant; unde, vetus illo loquendi mos, ut puerum, quem quis amabat, *Pullum* appellitaret ſuum; indidemque fortè fluxit vox Gallica; *Poulet*, qui amatorias epiſtolas ſignificamus.

Pausan. in Lacon. & in Attic. ARMATA, quòd cùm Meſſenii, à Spartanarum mulierum cohorte, quæ inſciis viris erumperat, fuſi fugatique eſſent; dum redirent illæ, ſpoliis onuſtæ hoſtium, ſuos habuere obvios viros, inſtructo agmine, infeſtisque ſignis, in ipſas facturos imperum, (hoſtem enim rebantur eſſe) niſi ſe illorum uxores probaſſent voce & factis. (Rem pudor, clariùs explicare prohibet.) Inde *Armata Veneri* Templum dicatum eſt.

Epiph. contr. Hæres. Euseb. I. de præp. Evang. Lucian. de Dea Syr. Strab. l. 11 ASTARTE, à Sidoniis, ſtellæ figurâ, culta eſt, vulgôque vocabatur, *Dea Syria*, quam eandem fuiſſe ac Lunam, ſcripſere quidam.

APATURIA, ab ἀπατάω, fallo; nihil enim magis amante fallax; nihil Amore fraudulentius, qui dum Roſæ inſtar, foliorum purpura, oculis blandè fulgurat, ſpinarum aculeis corda pungit, lacerat pectus, mentem diſcruciat.

Serv. Macrob Suidas & alii. BARBATA, apud Romanos; Cùm enim Romanas fœminas, invaſiſſet aliquando pruritus peſtilens, pilique omnibus decíderent; Veneri vota fecerunt, ac ſtatim ſuccrevere capilli, Deæque

que simulacrum posuerunt cum pectine, & addidere barbam, ut una eademque Dea, virorum ac fœminarum insignia gereret; ut sic utrorumque generationi præesse crederetur; Quod ut magis exprimerent, fecerunt, ut superiora corporis, speciem masculam; inferiora, fœmineam præferrent.

CYPRIS, & CYPRIA; quòd in Cypro culta. Festus.

CYTHERIS, & CYTHEREA, à Cytheris insula, in quam illa primùm, conchâ marina dicitur advecta.

CALVA, cui Romæ Templum dedicatum est, quòd a Gallis urbe occupatâ à mulierum capillis funes facti sint, ad bellicas machinas. Lactant. l. 1. div. Instit.

CLUACINA, à cluendo, id est, pugnando; ejus simulacrum, in ipso loco positum est, in quo pax Romanos inter & Sabinos, inita est. Veget. l. 4. de re milit. Plin. l. 15.

ERYCINA, ab Eryce Siciliæ monte, in quo Æneas Matri Veneri Templum constituxit, omnium longè clarissimum & ornatissimum. De hac, ita Horatius: Polyb. l. 2. Serv. 1. Æn. l. 1. Od. 2. Varr. 1. de re rust.

Si tu mavis, Erycina ridens,
Quam jocus circumvolat & Cupido.

Et benè, *ridens*, dicitur, & ab Homero *Philomedea*, id est, quæ risum amat; Risus enim Veneri propriè convenit, cùm dicatur nata ridendo; ex quo lætitiæ Dea creditur. Suidas Phurnut Iliac. 20.

HORTENSIS, quod hortis, ob generationem, esset proposita; unde Nævius apud Festum, Venerem pro *oleribus* sumit, ut Cererem pro *pane*, & Nuptunum pro *piscibus*.

IDALIA, & ACIDALIA, ab Idalio Cypri monte, & Acidalio fonte. Vir. 1. Æn & Serv. Horat. sæpè.

MARINA, quòd è mari orta, ut diximus, undarumque spumâ, genita creditur, eleganti versiculo significavit Ausonius.

Orta salo, suscepta solo, patre edita cœlo.

Hinc & *Aphroditis* vocata & *Anadyomene*, hoc est, emergens ex aquis, qualem depinxit Apel- Plin. 35. c. 10.

les; hinc dicta etiam *Pontia*, à ponto seu pelago. Quò spectat mos ille vetus, quo servati ex undis, propter receptam salutem, Veneri sacrificare soliti. Quò item pertinent, nautarum celebritates quædam solemnes, quæ *Aphrodisia* dicebantur, de quibus Plutarchus obiter, in operè, quod inscripsit, ὅτι κἀὲ ζῆν ἐστὶν ἡδέως, κατ' Ἐπίκουρον.

Pausan. Arcad. Od. 5. pyth. — MELANIS, seu Melænis, hoc est, *Nigra*, *Tenebrosa*, ob nocturnos concubitus, etiam legitimos: nam, quod ait Pindarus, *Omne amoris opus, amat tenebras.* Unde apud Ægyptios, Venus *Scotia*, ab iisdem tenebris: & νυκτὸς θαυμαστὸς, Admiranda Dea noctu, propter conjugia.

Eurip. in Hippol.

Lact. & Serv. — MERETRIX, quòd in Insula Cypro, prima docuerit fœminas, quæstum facere, vulgando corpore.

Pausan. in Lacon. — MIGONITIS, id est Conjugalis; ἀπὸ τῦ μίγνυμι, *misceo.* Veneri Migonitidi, primum dicatum est Templum, à Paride, postquàm Helenæ mixtus est: Quam loquendi formulam, huic rei declarandæ idoneam usurpat Poëta, his versibus:

Vir. 7. Æn

----- quem Rhea Sacerdos
Furtivum partu, sub luminis edidit auras,
Mixta Deo mulier.

Liv. l. 1. Plin. 15. c. 29. — MURCIA, quasi *Myrtea*; Myrtus enim Veneri sacra, cujus templum, in monte Aventino, qui priùs *Murcus* dicebatur.

PAPHIA, ab urbe Cypri; cujus sacra thure tantùm floribusque fieri solita. De hac, ita Maro:

Catull. de coma Beren. lib. 2.

Ipsa Paphum sublimis abit, sedesque revisit
Læta suas, ubi templum illi, centumque Sabæo
Thure calent aræ, sertisque recentibus halant.

Veneris hujus simulacrum, non colebatur humanâ specie; sed *erat*, inquit Tacitus, *Continuus orbis, latiore initio, tendem in ambitum, metæ modo, exur-*

Lib. 3.

exurgens, & ratio in obscuro. Quòd etiam alibi sæpè contigisse, ut informes Deorum statuæ colerentur, observatum est, testaturque Lucanus.

----simulacraque mœsta Deorum
Arte carent, cæsisque extant informia truncis.

Pessinuntiam certè Deam, (de qua, cùm de Cybele) informem fuisse lapidem, è cœlo lapsum, Herodianus memoriæ prodidit: & *Pallas Attica, & Ceres farrea*, inquit Tertullianus, *sine effigie, rudi palo, & informi ligno prostant.* Et Arnobius ait, *Arabas informem coluisse lapidem.* In Apolog.

VERTICORDIA, quasi, Corda vertens; quod animos mortalium curis sollicitaret, de qua Ovidius.

Templa jubet fieri Veneri; quibus ordine factis,
Inde Venus, verso nomina corde tenet. 4. Fast.

Affinis huic est illa appellatio, qua Venus dicitur, ἐπιστροφία. quòd vertat homines. Pausan. in Attic.

Veneris Gesta.

Quæ gesta, à scorto potentissimo expectanda sunt, præter calamitates, pestes, atque flagitia, quæ commisit, quas creavit, quas intulit? Deficiat me dies, si vel eorum nomina recensere velim, quos armavit in mutuam perniciem, quos impulit ad nefandos concubitus, quos in belluas immanes convertit, quos. Sed pudore deterreor pergere ulteriùs. Ovid. 2. Metam.

Quis enim sine rubore audiat, NYCTIMENEM, pestifero afflatu Veneris, & execranda libidine percitam, NYCTIMENE.

---- Patrium temerasse cubile,

mutatam propterea in Noctuam, fœdam, feralem, luctificamque volucrem, quæ

Con-

Ovid. 10. Metam. MYRRHA.

---- *Conscia culpæ,*
Conspectum, lucemque fugit, tenebrisque pudorem,
Celat, & à cunctis expellitur aëre toto.

Quis meditatum, patratumque nefandis impudicæ Deæ auspiciis, MYRRHÆ facinus non exhorreat? quæ Cinyræ parentis amore capta impio, & nutricis longævæ operâ (Superi vetustam hanc vetularum, lenarumque luem avertite, tectisque omnibus in ima tartara detrudite) scelere gravidata & oppressa suo, in Arborem versa fuisse dicitur,

Quæ, quanquam amisit, veteres cum corpore sensus,
Flet tamen, & tepidæ manant ex arbore guttæ.

Idem Ib. PROPOETIDES.

Quid PROPOETIDES puellas loquar, Prostibulorum coryphæas & principes, Venerem ausas,

Esse negare Deam, pro quo, sua, Numinis ira,
Corpora, cum forma, primæ vulgasse feruntur;
Utque pudor cessit, sanguisque induruit oris
In rigidum, parvo, silicem, discrimine versæ.

Idem Ib. PYGMALION.

Quid PYGMALIONEM memorem? qui nuptiarum mala maxima, secum ipse reputans, cum statuisset cælibem vitam agere, statuariam exercendo; virginis simulacrum ex ebore, quod ipse fecerat, sic amare cœpit, Venerem ut rogaverit, ebur emolliret, atque animaret; Quo impetrato, si credere fas est, statuæ viventi copulatus est, & exilla, genuit Paphum,

---*de quo tenet Insula, nomen.*

Quid Pyramum & Thisben? Quid Atalantam, & Hippomenem? Quid Paridem & Helenam? Par hoc tergeminum infeliciſſimorum Amantium, attentius inspiciamus.

Ovid. 4. Metam.

PYRAMUS & THISBE, apud Babylonios, for-

formâ, ætate, moribus ac conditione pares, amare pariter inter se cœperunt, ab ipsis penè incunabulis. Amorem peperit ædium vicinitas, (erant enim contiguæ) consuetudo puerilis aluit, rara in utroque forma perfecit. Crescit tamen cum annis amor; & jam ætatem attigêre nubilem, inirentque nuptias, proh, quàm lubenter! ni parentes abnuerent, ob simultates veteres, quas jam pridem exercebant. Itaque ne quid moliantur liberi, contrà quàm parentibus placet, colloquio, mutuoque conspectu, ipsis interdicitur. Quid aget Pyramus? quò se vertet Thisbe? Paries erat, *domui communis utrique;* & in pariet, tenuis rima, domesticis hactenus ignota.

Quid non sentit Amor?
----- Illam, primi, vidistis, Amantes;
Et vocis fecistis iter, tutæque per illud
Murmure, blanditiæ, minimo, transire solebant.

Transibant & suspiria; sed transire nequibant oscula, quæ, vale dum sibi dicebant, figebant parieti,

Parti quisque suæ, non pervenientia contra.

O qualem fatalis illa parietis labes, in amborum pectore, labem fecit! Ferre non potest magnus amor eruptionem tam augustam. Amplior est, quàm ut rimâ tam arctâ commeet. Ergò statuunt, proximâ nocte, libertatem, qua potiri non valent domi, quærere foris, & in nemus mœnibus proximum perfugere. Constituitur locus, umbra mori, proceræ arboris, fontem opacans. Pacta placent; adventat nox; Thisbe, elusis custodibus, egreditur prima, & ad nemus advolat; (alas namque addebat amor) cum ecce tibi Leæna, à Boum cæde recens, venit

Depositura sitim, vicini fontis in unda.

Exterrita Thisbe, fugit in antrum quoddam; & fugienti,

fugienti, retrò velum capitis excidit; quòd inventum, Leæna à fonte redux, oret, ut erat, cruentato laniat. Sub hæc, Pyramus adest, cernit vestigia feræ altè impressa fabulo, moxque Thisbes amictum lacerum & cruore tinctum. Ilicet, suam vitam extinctum ratus, & discerptam beluæ dentibus, amore in furorem verso, tendit amens animi ad condictam arborem, ibique non inventa Thisbe, incumbit in ensem, & vitam profundit cum sanguine. Thisbe interea, collegerat à pavore animum, & ad morum properabat; jamque propè aberat, cum

---- tremebunda videt pulsare cruentum
Membra solum,

Hæret illa primùm, horrore perculsa, pedemque refert, stupenti similis.

Sed postquàm remorata suos cognovit Amores.

in amplexum morientis ruit, immiscet lachrymas cruori, & amantem amplexata,

Pyrame, clamavit, quis te mihi casus ademit,
Pyrame, responde, tua te charissima Thisbe
Nominat; exaudi, vultusque attolle jacentes.
Ad nomen Thisbes, oculos in morte gravatos
Pyramus erexit, visâque, recondidit illâ.

Hic Thisbe, dolore exanimis, laniare genas, pectus tundere, capillos vellere, uberrimoque fletu rigare frigentis genas, nullumque facere lugendi finem, quoad velamen cernit suum, in dextrâ Pyrami, laceratum, cruentumque. Tum verò, mortis causam facilè agnoscens, quidquid supererat virium, colligit; avulsumque ferrum, quod adhuc hærebat in amantis pectore, altè defigit in suum; & collapsa supra jacentis corpus, osculum libando fortuitum ac frigidum, extremum in ejus ore, atque sinu, spiritum exhalavit. At arbor, mirum dictu! utriusque tepefacta sanguine, mortem sensit & luxit. Et quæ prius jam cru-

erubuerat, fuso Pyrami sanguine, moris, quæ prius alba fuerant, dolore rubefactis; geminato funere, atrata visa est, funebremque traxere ac nigrum, mora, colorem.

ATALANTA & HIPPOMENES jam succedant, parteſque agant suas. Illa Scheni, seu Cenei Regis filia fuit, dubium, oris decore præstantior, an laude pedum, (nam celeritate præcelluit;) consulto aliquando oraculo, iniretne nuptias; triste responsum tulit, exitiabiles fore, si iis adjiceret animum, & corpus addiceret. Quocirca, in sylvas se abdit virgo, loca incolit à turba hominum remota; verùm quò magis fugit illa viros, eò plures proci, votis ardentioribus, fugientem prosequuntur, fastidientem ambiunt, superbam venerantur. Ut videt Atalanta, se alia non posse ratione, ab importunis se expedire petitoribus, ad ultima descendit. Frustra, inquit, prehensatis honorem connubii: Nemo vestrum, me potiturus est, nisi me cursu vicerit. Ero ipsa, victoris præmium; sed victi pœna, mors. Age; ea conditio, si placet, in arenam mecum descendite. Placet conditio:

Venit ad hanc legem temeraria turba procorum,

Certant singuli, vincuntur omnes, constitutam subeunt pœnam, & innoxiam pedum culpam, luunt capite.

Nec tamen avocatur, ferali hoc exemplo, Hippomenes, à certandi consilio, nec spem vincendi abjicit; post accepta præsertim à Venere, tria mala aurea, in hortis Hesperidum decerpta. Muneri Venus monitum addit, docens quid facto sit opus. Itaque in medium Hippomenes prosilit alacer: cursum init cum Atalanta: quam simul ac aspexit jam antecedentem, pomum unum projicit, cujus fulgore aureo allecta virgo,

Declinat cursus, aurumque volubile tollit.

Alte-

Alterum deinde mittit, novam ut injiciat moram, ac denique tertium, in quibus colligendis, dum occupatur Atalanta, metam Hippomenes contingit, & victam ducit sponsam, in præmium victoriæ.

At, ô Veneris inconstantiam! & ô ingrati animi vitium! Non egit Veneri grates, Hippomenes, ut debuit, sed amore ebrius, amisit memoriam beneficii.

Quod Dea non ferens, tam ardenti novos conjuges inflammavit libidine, ut dum iter faciunt aliquando, explere illam in loco sacro, non veriti sint: Cujus sacrilegii pœnas dedêre statim in Leones mutati.

PARIS & HELENA prodeant nunc in scenam. Fuit ille, Priami Trojanorum Regis, ex Hecuba filius; quæ uterum ferens; cùm somniasset, facem se parere ardentem, adhibiti vates responderunt, portendi incendium Trojæ, olim excitandum à puero, quem paritura esset. Quamobrem, editus in lucem infans, Priami jussu, exponitur in Ida monte. Sed eum Pastores clam enutriunt & educarunt, vocaruntque Paridem. Cùm primùm adolevit ætas magnarum virtutum; ac præcipuè, singularis prudentiæ, & in controversiis componendis, summæ æquitatis dedit argumenta; sic, ut exorta, inter Deas, gravissima lis, ejus sit dirempta judicio.

Dio. Chrys. Or. 20. Philostr. in Icon.

Liti causam dedit, Dea DISCORDIA. Cùm enim Dii Deæque omnes illâ unâ exceptâ, invitati convenissent ad Pelei nuptias; ultura dedecus, dum mensæ accumbunt illi, sensum adrepens, pomum aureum submittit in mensam, cui hæc erat inscriptio, *Pulchior accipiat*, vel, quod idem est; *Detur Pulchriori*. Hinc Deas inter, enata contentio; sibi quaque, ut pulchriori, pomum vendicante. Cessêre tamen universæ, tribus Dearum maximis, Junoni, Pal-

Palladi, ac Veneri ; quæ cum tumulatuari pergerent, & ad concordiam adducere, ne ipse quidem Jupiter, jurgantes posset ; statuit tandem ut starétur judicio Paridis ; secundum quam, ille sententiam dicturus sit, ei adjudicatum iri pomum : Illum proinde adeant, apud illum causam agant quæque suam. Obtemperant Deæ, Paridem conveniunt, in monte quodam oves tunc pascentem. Causa quæ sit, aperiunt, ingentibusque promissis sollicitant singulæ pastoris animum : Juno potentiam, Pallas sapientiam, Venus promittit pulcherrimam fœminarum. Quid plura ? Inspectis accuratè singulis, corruptus libidine judex, Venerem pronunciavit pulchriorem, addixitque ei Aureum Pomum.

Et fecit promissa Venus ; Nam brevi Paris agnitus, habitusque pro Priami filio, per speciem legationis, cum ingenti classe navigavit in Græciam, rapturus Helenam virginem, dignitatè formæ, fœminarum sui temporis facilè principem, Menelao Spartanorum Regi, jam desponsatam, & in ipsius domo tunc agentem. Ergò per absentiam Menelai, Trojam abducit Paris Helenam ; quam repetente Menelao, & reddere recusante Paride, luctuosum illud exarsit bellum, Græcos inter & Trojanos, quo urbs illa, regni, Asiæque caput, post decennalem obsidionem capta, miserando incendio conflagravit, anno ab orbe condito, bis millesimo, octingentesimo septuagesimo primo. Cæsa illo bello dicuntur, è Græcis, octingenta, octoginta sex millia ; inter quos eorum Dux Achilles, ex insidiis interfectus à Paride. E Trojanis verò, usque ad urbem proditam (prodita enim creditur, ab Ænea & Antenore) sexcenta septuaginta sex millia ; in quibus ipse Paris, ejusque frater Hector, Patriæ columen, ille à Pyrrho, aut à Philoctete

occisus, hic ab Achille. Eorum verò pater Priamus, captâ & incensâ urbe, liberis, Hecuba conjuge, regno & vitâ spoliatus est.

Helena porrò, Paride mortuo, ejus fratri Deiphobo nupsit; ac deinde, per ipsam, arce prodita Græcis, admissus in ejus cubiculum Menelaus, Deiphobum trucidavit, & cum Helena in gratiam rediisse dicitur. Sed redeamus nos in viam & ad fabulam; nam hæc ad historiam pertinent.

VENERIS COMITES.

CUPIDO,

GRATIÆ, ADONIS.

Philostr. in Icon.

Vid. Nat. & Lil.

CUPIDO, amoris Deus, incertos ideò parentes habet, quia multiplex. Plato, eum ex PENIA paupertatis Dea, & PORO, consilii & abundantiæ filio, natum scribit; Hesiodus, Chao & Terra; Sappho, Venere & Cœlo; Alcæus, Lite ac Zephyro; Simonides, Marte & Venere; Alcmæon, Zephyro & Flora genitum perhibent. At, quocumque sit genere satus, illud constat, Veneri vulgò illum assignari, aut filii, aut famuli loco.

Cic. 3. de nat.

Plat. in Phœdro.

Geminus passim à Poëtis fingitur; Ingenuus unus, obscœnus alius: Ille Veneris ac Jovis; iste Noctis Erebique filius; Ille cælestis, hic vulgaris, cui adjungi solent comites, Ebrietas, Dolor, Inimicitiæ, Contentiones, aliæque Pestes hujusmodi. Denique alter, Ἔρως, dicitur, alter ἀντέρως. Nudus uterque, ac puer; uterque alatus & cœcus, face armatus, arcu & sagittis instructus; & duobus præsertim diversæ naturæ spiculis; al-

Plut. ap. Stobæ. Schol. Theocr. 10. Idyll.

tero

tero aureo ad conciliandum : plumbeo altero, ad pellendum amorem.

Hujus Dei, etsi Deorum natu minimi, tanta est potentia, ut in cæteros omnes principatum exerceat, & fortissimus habeatur. Quin & ipsa Venus, ejus Domina, sine illo, carere gratiâ, & nihil posse dicitur, idque non diffitetur ipsamet, dum suum sic compellat Cupidinem, Pausan. in Bœot. Plat. in sympos. Plut.

Nate, mea vires, mea magna potentia, solus.

At, cur Cupido nudus ? *Nudus* est, quòd qui amat, nihil habet suum, sese spoliat omnibus, nihil celat ; Samsone teste, qui fatale secretum, quo capi posset, amasiæ declaravit, planè cæcus, prius etiam, quàm excæcaretur. Audi, quid respondeat alius : Virg. 1. Æn.

Quare nuda Venus, nudi pinguntur Amores ?
Nuda quibus placeat ; nudos dimittat oportet ?

Puer est, quia judicii expers ; Quò enim quis amantior, eò plerumquè est amentior. *Cæcus* ideò quòd amatæ rei vitia non videat amans, nec damna cernat animo, quæ ab amore fluunt. *Alatus* ; nihil est enim amore volucrius : cras oderit, qui amat hodie ; Quem mane deperibat, aversabitur vesperè. Quid dico, vesperè ? Citiùs, hoc fecit Amon Davide genitus ; Odio quippe furens cubiculo expulit, quam amore ardens paulò ante pellexerat. *Sagittis* denique *armatus* est, quia ferit eminùs.

GRATIÆ Græcè *Charites*, ἀπὸ τῆς χαρᾶς à Gaudio ; Jovis & Eurynomes, sive, ut ait Orpheus, Eunomiæ, aut, ut alii malunt, Bacchi, Venerisque filiæ, tres fuerunt ; quarum prima dicitur, *Aglaia*, ab hilaritate, seu venustate, sic dicta ; propterea quòd hilariter præstandum sit beneficium. Secunda, *Thalia* (per ι, nam per, ει, est Hesiod. in Theog.

α, est Musæ nomen) à viriditate & concinnitate nomen habens, quod beneficii memoria, semper virere debeat, & nunquam marcescere. Tertia, *Euphrosyne*, ab oblectatione & hilaritate, ideircò quòd non minùs in dando, quàm in accipiendo beneficio, hilarem esse deceat.

Pingebantur Puellæ nudæ, aut pellucidis saltem solutisque vestibus, virgines eædem, & hilares, manibus inter se connexæ; Quarum, *una* exprimebatur *averso corpore*, quasi à nobis, proficisceretur; *duæ* autem *ad nos conversæ*, quia cum unum à nobis in alios proficiscitur beneficium, duplex gratia rependi solet; altera, dum accipitur, altera dum redditur. *Nudæ* erant, aut solutis vestibus, quòd beneficia esse debeant minimè fucata, sed sincera & candida. *Puellæ*; quia accepti Beneficii memoria senescere nunquam debet, sed florere perpetuò. *Virgines*, quòd beneficia pura esse oportet, nec fœnerari illa convenit; vel etiam, quòd nihil turpe petendum, aut accipiendum sit. *Connexæ*, quia, ut ajunt, χάρις χάριν τίκτει, beneficium parere solet beneficium perpetuumque esse debet mutuæ benevolentiæ fœdus, ultro citroque commeantis.

Pausan. in Boeot.

Ovid. 10. Metam.

ADONIS, Cynaræ Cypriorum Regis, & Myrrhæ filius, excellenti formâ puer, quem propterea Venus, in deliciis habuit, & ministrum sibi delegit. Hic, inter venandum, apri dente percussus sub inguine, interiit. Venus autem post multas lachrymas, quibus mortuum prosecuta est, ejus cruorem humi fusum, in florem Anemonem, qui sanguini est concolor, commutavit. Ipsa verò, ad moribundi vocem, dum passis capillis, nudisque pedibus, opem latura accurrit, spinæ aculeo vulnerata pedem, cruore suo tinxit Rosam, & quæ prius alba fuerat, in rubrum colorem induit.

Hygin. in Astron. Poëtic.

Addunt & aliud commentum non illepidum.

Vene-

Venerem ac Proserpinam, coram Jove litigasse, utra possideret Adonidem; quibus à Jove missis ad Calliopen Musam, cujus edicto esset dirimenda controversia, rem ita Calliope composuit, ut senos menses ministraret Adonis Veneri, totidemque menses Proserpinæ famularetur. Cujus figmenti, hic est sensus. Venus, terra est, Adonisque suus, ipse Sol; cum quo sex menses illa regnat, floribus decora, frugibusque dives; sex alios menses, abscedit Sol procul à nobis, receditque velut ad inferos, cum Proserpina. Denique ab Adonide, natum hoc proverbium, *Adonidis horti*: quo significamus, res amœnas quidem, sed leves, parumque utiles.

FABULÆ SENSUS.

Venus, Obscœna Libido.

VEnus cincta Gratiis, stipata Cupidine, Adonide suo comitata, quid aliud adumbrat, quàm effrænatam obscœnarum rerum libidinem? Idcircò

Primum, Venustatis, & Gratiæ Dea dicitur, quia nihil est, quod vehementius incendat cupiditatem turpissimarum voluptatum, quàm ipsa formæ pulchritudo. Illa est siquidem, quæ fragili, corporeóque throno insidens, superbè dominatur in animos; quæ, leporum blanditiis, in pectis irrumpit, virtutem frangit & expugnat, fœdissimáque servitute sibi, mancipat. Armatam Cytherei coluêre Venerem: Quid formoso corpori armis opus est? Num satis est, ut pulchritudine ornatum munitumq; sit? Eam certè fuisse fœminis â natura datam, ingeniosè quidem cecinit, ut illâ, *lancearum scutorumque loco* uterentur, *& ignē atq; ferrum vincere, quæ* Pausan. in Attic. Anacr. Od. 2.

Apud Scholiast Euripid.

decore præstant. Testis Helena, testis Phryna, testes innumeri; sed tamen illa jam palo alligata, atque obruenda lapidibus, oculorum fulgure, de lictorum manibus, lapides excussit: Hæc, manifesti comperta criminis, jamque multis pra judiciis irretita, simul ac discissâ veste, aperuit sinum, præclusit ora Judicum, & pro se se perorante formâ, omnium sententiis absoluta est.

2. Currui insidet pulchra Venus, & quasi de subactis hostibus triumphum agit post confecta bella, quæ gerit non tam armorum quam amorum jure. Illecebris quippe grassatur, non insidiis; lenociniis, non tormentis; Veneribus, non vulneribus; nec faces mittit alias, quam quas accendit amor, & sagittæ, quas ad cor adigit, non aliunde mittuntur, quam ab arcu oculorum. Quid autem mirum, si eo modo dimicans, hostem benevolum, non in fugam vertit, sed in amplexum?

Plin. l. c. 7. Plut in Pompejo.

3. Coronam gerit, nempe post pugnam victrix, (hoc enim nominis obtinuit.) Pugnat siquidem Pulchritudo semper invicta. Sed, quo pacto? planè mirabili. Pugnat videlicet in otio, vincit in pace, triumphat oculis, tacendo tonat, aspectu fulgurat, & uno, non dicam impetu, sed intuitu, pectus invadit, expugnat animum, & sibi tributarium facit. Quid? quod sine voce loquitur, sine vi, vim affert, sine catenis allicit, sine præstigiis immutat mentem; & vidisse, vicisse est, & vitam esse, triumphasse. Illam propterea videre noluit Augustus in Cleopatra, ne caperetur, & Victor orbis, vinceretur à fœmina. Itaque agenti causam, & multis verbis peroranti, aures aperuit quidem, sed clausit oculos.

4. Speculum gerit: ut vitrum, quoties Pulchritudo consulit, firmius possit de fragilitate sua plusquam vitrea judicium ferre. Et floreis corol-

corollis decoratur, ut ex iis intelligat, oris venustate nihil esse vanius; quippe quæ floris instar, tenui livescit afflatu, cassuque levissimo defluit, & momento citiùs contabescit.

5. E mari orta Venus est. Nimirum, in mari, in amore, inquam, nihil nisi amari est; Atque haud scio, an nomen hoc, *amarum*; ab hoc verbo, *amare*, ductum sit. Illud haud ex vano dixerim, in amore Venereo, tantum inesse amaroris, ut præ illo, amaritudo maris non sit amara. At esto, sit dulcis amor, attamen, è mari orta Venus est; ut qui illam sectantur, in mari se versari sciant, perturbationum procellis, cupiditatumq; turbinibus semper agitato; in quo, quantæ jacturæ bonorum, quot naufragia fiant, non rei modo familiaris, sed ipsius etiam rationis, atque judicii, cœcus est, quisquis non videt.

6. Adulteriis, stupris, incestibus famosa est formosa Venus. En, quo pulchritudo corporis, quos allicit, abripit. En præcipitia, quò ignis ille fatuus in fronte micans, inspectores suos, blande perducit. Sic, è purissima faciei glucie impudica flamma concipitur, & è lucis intuitu, ab ore radiantis, obscœna existit nubes libidinis, & fœda caligo prorumpit. Sic, perverso rerum ordine, innumeri cæcutiunt ab alienis oculis, turbantur, ad serenæ formæ conspectum, impallescunt ad ejus ruborem; & frontis pudorem excutiunt, dum frontis honores aspiciunt, & impudentiores existant, quò magis pudorem mirantur.

PAL. At heus, bone Mystagoge, quo te mentis fervor, ingeniique æstus abstrahit. Ut video, hujus Deæ pulchritudo movit admirationem.

MYST. Imo bilem potius; sed tamen bene mones, diutius, quàm vellem, nos distinuit Venus, nec tamen sine causa, est enim de Deabus

maximis una. Cæteræ quæ sequuntur, ut minus illustres, nequaquam sic nos morabuntur.

LATONA.

Apollod. l. 1. Ovid. 6. Metam.

FUIT Latona, quam post Venerem aspicis, Cœi Titanis, ex Phœbe filia, quam, ob eximium formæ decus, cum adamasset, compressisset Jupiter, & ex utero tumente, illam Juno prægnantem sensisset, è cœlo dejecit in terram, ipsa priùs Terrâ, jurare jussâ, ne parituræ locum daret: Immisit insuper Pythonem serpentem, qui toto orbe persequeretur pellicem. Sed frustra fuere illa omnia. In Delo quippe insula, Latona arborem complexa Palmam, aut Oleam, enixa est Dianam, quæ statim, obstetricis officium, matri præstitit, & Apollinem nascentem suscepit.

Orph. in Hymn.

Lucian. in dial.

PAL. At si Terra juraverat, se locum parituræ Latonæ non præbituram, quo pacto parere in Delo potuit?

Iridis & Neptuni.

MYST. Quia illam olim Insulam, in mari fluctuasse dicunt, & diu latuisse sub undis: latebat autem tum, cum Terra juraverat; unde injurata ipsa emersit tunc Neptuni jussu, extititque immobilis, in Latonæ gratiam: ex quo *Delus* dicta est, *conspicua* & *manifesta*: nam Δῆλος, Latinis *manifestus* dicitur.

PAL. Cur autem in Latonæ gratiam emersit Delus insula?

MYST. Ne mireris, fuit enim hæc Insula, Latonæ soror, Asteria nomine; quam cum deperiret, & insequeretur Jupiter, in Insulam conversa est, ut ajunt quidam: Ab aliis verò, in Coturnicem mutata fertur, ac fugisse in illam insulam, quæ de ejus nomine, *Ortygia* vocata est; ὄρτυξ enim, *Coturnix* est.

Ovid. 15. Metam

HUJUS

HUJUS Deæ Numen fecit illustrius, superbia Niobes, & inhumana rusticitas Lyciorum.

NIOBE, Tantali filia, Amphionis Thebanorum Regis uxor, felix naturæ fortunæque muneribus, non poterat felicitatem ferre suam, tot cumulata bonis. Quare, inflata vaniore fastu, superbiusque sese efferens, Latonam cœpit aspernari, seque illâ jactare majorem; major sum, inquiebat mulier impotens, Ovid. 6. Metam.

Major sum, quàm cui possit fortuna nocere,
Multaque ut eripiat, multò mihi plura relinquet.
In quancumque domus adverti lumina partem,
Immensa spectantur opes. Accedit eodem
Digna Deo facies. Huc natas adjice septem,
Et totidem Juvenes; & mox Generosque, Nurusque.
Quærite nunc habeat, quam nostra superbia causam?

Septem enim filios, totidemque filias viro pepererat, præstanti omnes formâ & indole. Sed brevi tot bonis spoliata est demens, & à summâ fortunâ, redacta ad infimam. Nam Latona, ubi se contemptam videt, suaque sacra turbari à Niobe, Apollini & Dianæ commendat, injuriam matris ut ulciscantur. Hi continuò pharetram sagittis instruunt, ad Niobes regiam se conferunt, & jaculis filios primum, tum filias & patrem conficiunt, in oculis matris; atque ita demùm

----- Orba resedit,
Exanimes inter natos, natasque, virumque;
Diriguitque malis,

in marmor mutata, è quo tamen fons lachrymarum adhuc manat.

LYCIÆ quoque Rustici, experti aliquando Idem ibid.

sunt, magno suo malo, Latonæ iram. Ibat Latona errans, natis gemellis onerata. Cùm à viæ labore, æstuque intolerabili, ardere cœpit tanta siti, propè ut ab fuerit ab exitio. Fontem inter hæc fortè videt in ima valle, accurrit gaudens, ponit genua

---- gelidos potura liquores.

Sed vetant Rustici, qui vicinis in locis aderant. At Dea illos sic precatur, petens bibendi veniam:

Quid prohibetis aquas? usus communis aquarum est;
Quas tamen ut detis, supplex peto; non ego nostros
Abluere hic artus, lassataque membra parabam,
Sed relevare sitim. Caret os humore loquentis,
Et fauces arent, vixque est via vocis in illis.
Haustus aquæ, mihi nectar erit, vitamque fatebor
Accepisse.
Quem non blanda Dea potuissent verba movere?
Hi tamen orantem perstant prohibere; minasque
Ni procul abscendat, convitiaque insuper addunt;
Nec satis est, ipsos etiam pedibusque manuque,
Turbavere lacus; imoque è gurgite mollem
Huc illuc limum, saltu movere maligno.

Inurbanitatem tam feram, ac barbaram, diutiùs Latona ferre non potuit, sed eis malè precata,

Æternum; stagno, dixit, vivatis in isto.
Eveniunt optata Deæ.

Nam statim in ranas conversi, in aquas turbulentas insiluêre.

AURORA.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0143
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0144
DFG

AURORA.

MYSTAGOGUS. Quam aureo curru sublimem vides, equis albis illum trahentibus, ecquam Dearum esse putas? Virg. 6. Æn. Theocrit. in Hyla. Apollod. l. 1.

PAL. Num Aurora, Terræ ac Titanis filia, Solis ac Lunæ Soror, Astrorum ventorúmque Mater? Id equidem ex ore conjicio rutilitanti, roseisque digitis. Nescio, an me fallat conjectura, & Homeri lectio, apud quem, id observavi. Hymn. in Vener.

MYSTAGOG. Sapis pleno pectore, Est, ut dicis Aurora, Græcè ἠὼς, & ἑὼς, unde *Eous*, & *Heous*. Aurora verò dicitur, quasi *Aurea*, Ἀγγελίη θεὸς Τιτῆνος, id est, Solis Nuncia. Parentes quoque rectè assignati, sed alios alii tribuunt; nimirum Hyperionem & Thiam; aliqui verò Pallantem; unde illa, vulgò *Pallantias*, à Poëtis cognominatur. Orph. in Hymn. Hesiod. in Theog.

PAL. Nihilne ab illa gestum? Ovid. 7. Metam.

MYSTAGOG. Juvenes duos elegantissimos rapuisse dicitur, Cephalum & Tithonum. Pausan. in Lacon.

CEPHALUM quidem, jam nuptiis implicatum (Procrin is duxerat, Athenienſium Regis filiam) cum nulla ratione potuisset adducere ad violandam fidem uxori datam, vi rapuit in cœlum: ac, ne sic quidem, viri constantiam labefactare potuit. Itaque ad conjugem illum remittit, mercatoris habitu personatum; qui illius erga se fidem, cùm periclitari vellet, blanditiis & muneribus oppugnat ejus pudicitiam. Et propè erat, ut deditionem faceret mulier, cùm pristinæ redditus formæ vir objurgat graviter uxoris levitatem. Illa pudore suffusa in sylvas se abdit; deinde redit in gratiam cum viro, eique dono dat telum in vitabile, quod illæ, à Minoë acceperat. Hoc instructus telo Cephalus, tem-

tempus omne venationi tribuit, & nihil aliud, quàm feras agitat. Procris, suspicata teneri virum amore Nymphæ cujuspiam, antecedit, & latet in dumeto, inde captatura rei veritatem. Sed dum se incautior, commovet, vir arcum intendit suum, & ratus esse feram, conjugem inevitabili telo transverberat.

Horat. l. 2 Carm. Ovid. l. 9. Metam.

TITHONUM autem, Laomedonte genitum, Priamique fratrem ob speciem præclaram, Aurora extulit in cœlum, conjugioque sibi junxit, eique à Parcis, quasi Dotis nomine, immortalitatem obtinuit, filiumque ex eo Memnonem suscepit. At cum oblita esset Aurora, illud etiam marito petere, ne senesceret unquam; in decrepitam pervenisse ætatem dicitur; sic, ut infantium more, in cunis agitandus esset, ut obdormisceret. Quocirca, eum vitæ tædere cœpit, eratque in votis, mors; & Auroram obsecrat, ut mori possit. Negat illa, in sua id esse potestate; daturam tamen, quod posset; & promissa præstitit, virum commutans in Cicadam: quam ajunt, senio confectam, positis exuviis, non interire sed juvenescere.

Ovid. 13. Metam.

PAL. Quid verò factum, de Memnone?

MYST. MEMNON illorum filius, cùm Trojam venisset, suppetias, laturus Priamo, singulari certamine cum Achille pugnans, occisus est. In eoque ipso loco, ubi cecidit, fontem ajunt erupisse, qui quotannis, eodem ipso die, quo necatus est, sanguinem pro aqua profunderet. Cum autem, in rogo cremaretur ejus cadaver, precibus Auroræ matris, in Avem mutatus est; ex eademque pyrâ, multæ aliæ aves evolarunt ejusdem generis *Memnoniæ* dictæ; quæ in duas divisæ turmas, infestis rostris & unguibus concurrentes, generis sui Auctori Memnoni, sanguine suo parentarunt.

Lucian. in Philopseu.

Fidem superat, quod de hujus statua Memnonis,

nonis, ex nigro facta marmore, & Thebis Ægyptiorum in templo Serapidis erecta, ferunt. Videlicet, illius simulacri os, simul ac attingerent primores radii Solis orientis, suavissimam vocem emittere solitum, quasi Matris adventu lætaretur : Occidente verò sole, flebili sono, cantum lachrymabilem edere, tanquam si doleret de ejus absentia. Tzetzes. Chil. 6.

Habes Palæophile, quæ de Cœlestibus Diis ac Deabus, habui dicenda.

PAL. O, quàm arcto me tibi nexu obstrinxisti, humanissime Mystagoge. At quid agis ? discessum credo, paras ? Hoccine est stare promissis ? Num te mihi singula explicaturum promiseras, Mythici hujus simulacra Panthei?

MYSTAGOGUS. Mitte sollicitudinem : Præstabo, quod in me recepi. Sed, an vis nos hîc impransos, totum diem agere ? Eamus, redituri statim à prandio : volo enim mecum unà domi meæ prandeas.

PAL. Non impetrabis ; In hospitiolum diver-tam meum : Nolo tibi esse incommodus.

MYST. Tu mihi incommodus ? quò nimirùm commodiorem, & comiorem vidi neminem. Eamus, inquam ; non es hodie tui juris ; parendum tibi est.

PAL. Parebo ; Ibo, quò me duces.

PARS

PARS II.

DE DIIS TERRESTRIBUS.

PALEOPHILUS. Nunc certè commodiùs multò, loquêre tu, & ego audiam, postquàm tam lautè prandimus. Agedum; quam oculos in partem, vis convertam.

MYST. In dextrum parietem; Lævum enim esset omen, à læva ducere initium. In hoc pariete, quæ secunda pars est, hujus Panthei, & hujus Dissertationis; Deos Terrestres cernis, picturarum varietate bifariam divisos. Alii enim urbes & campos promiscuè incolunt; quos propterea *Terrestres*, communi nomine, dicemus; Alii rure tantùm & in sylvis degunt, quos idcircò *Sylvestres* appellabimus. Illos primùm contemplemur.

TERRESTRES DII.

Terrestres Dii dicti sunt, quód terras incolerent; qurum hi præcipua celebrantur: Saturnus, Janus, Vulcanus, Æolus, Momus. In Deabus autem, Vesta, Cybele, Ceres, Musæ, Themis, totidem omninò, quot Cœlestes. A Seniore inchoëmus, à Saturno scilicet, cujus hîc imaginem intueris.

SATUR-

SATURNUS.

Ejus Imago.

PAL. Ille Saturnus est? Ille cadaverosus retorridusque Senex, promissâ barbâ; cano capite, qui scapulas habet arcuatas in fornicem, hiantesque & aridas fauces, oculosque lippitudine riguos, buccasque fluentes, nasumque simum, sulcatamque frontem, recurvumque mentum, genasque luridas, auriculasque flaccidas, aduncasque manus, rubiginosam falcem dextra præferens, serpentem sinistrâ, admordentem sibi caudam? Virg. 7. Æn. Ex Martian. ap. Lil.

Genus & Gesta.

MYST. Ipse est, Saturnus, Cœlo ac Terrâ, seu Vestâ natus; qui Cœlus, Cœlius, sive *Uranus*, Græco sermone dictus, Ætheris ac Diei filius, Deorumque omnium antiquissimus, Vestam ab ipso genitam, ut quidam ajunt, uxorem sibi conjunxit, plurimosque ex ea liberos sustulit, quorum clarissimus Saturnus iste fuit. Fratres habuit, Cyclôpas Oceanum, Titanum, Centimanos, alioque bene multos: Sorores aurem Cererem, Tethym, & Opem, seu Rheam, (quam postea duxit uxorem) à quibus exorata Vesta mater, efficit ut Saturno paternum regnum deferretur, excluso Titano, stirpis maximo, ad quem hæreditario jure pertinebat; verùm cùm matrem & sorores adverteret in fratrem propensas, tempori cedendum ratus, jure quoque cessit suo, illudque in Saturnum, eâ conditione transtulit, ut nullam ille prolem educaret masculam, sed post ipsius mortem, ad liberos Titanis (dicitur enim Titan, & Titanus) regnum rediret. Nonn. l. 21. Dionysiac. Lact. Placid. in l. 8. Theb.

PAL.

PAL. Accepitne conditionem Saturnus?

MYST. Accepit, & servavit bona fide, quoad licuit, sed non licuit diu. Cum enim Ops, ejus uxor, a marito devorari cerneret, quoscunque ipsi pariebat masculos; uno partu, Jovem & Junonem enixa, hanc ei obtulit; Illum vetò clam nutriendum in Ida monte curavit à Curetibus Cretæ populis, adhibitis Corybantibus (Sacerdotes erant Cybeles) qui tympanis cymbalisq; suis de more obstreperent, ne vagitus infantis exaudiri à Saturno posset. Eademque arte, Ops Neptunum, & Plutonem filios, subtraxit deinceps voracitati Conjugis.

P. Patuitne Saturno fraus?

M. Patuit: puerumque flagitavit ab Ope, quæ lapidem panniculis involutum ac fasciis, pro Jove devorendum marito dedit, quem ipse deglutivit illicò.

P. Quid interim Titan, se violatâ fide, delusum videns?

M. Ulturus injuriam, collectis copiis, arma Saturno intulit; illum nnà cum Rhea cepit detrusitque ligatos in Tartarum; donec paucis post annis Jupiter, devictis bello Titanibus, restituit parentem utrumque in libertatem.

P. Jovi ergò, ut æquum erat, Saturnus beneficii memor, in posterum favit.

M. Imo struxit insidias; quod scilicet ex Oraculo didicisset, se regno pulsum iri à filio, ut re ipsâ, pulsus à Jove, solioque exturbatus est, postquam vidit se, à Saturno patre insidiis peti: Necid solum; melleo quippe liquore intemperanter hausto, velut ebrium, vinculisque constrictum exsecuit, ut ipse olim Saturnus, suâ falce, parentem suum, Cœlum exsecuerat.

Stat. 8. Theb. Claud. 1. de rapt.

Virg. 8. Æn. Cyprian. de Idol. vanitat.

P. Quonam verò Saturnus, se recepit regno dejectus?

M. In Italiam, (quæ à Saturno, *Saturnia*, olim dicta) apud Janum Regem; ex quo, ea Italiæ regio,

regio, quam incoluit, & in qua latuit, *Latium* appellata est, indidemque populus *Latinus*, ut observat Ovidius.

Inde diu Genti mansit Saturnia *nomen*, 1. Fast.
Dicta fuit Latium *terra, latente Deo.*

Ipse autem Saturnus, à Jano in societatem Regni vocatus, populos illos agrestes, ac palantes belluinum in morem, ad humaniorem civilemque cultum revocavit, conjunxitque velut æreis vinculis, dum nummos æreos, primum in illis locis monetæ genus adinvenit; quod Numismata testabantur, in quorum parte altera, Navis impressa (quâ nimirum vectus erat in Italiam;) in altera Janus bifrons; id ipsum affirmante Ovidio Diod. l. 5. Biblioth. Ibid.

At bona posteritas, Puppim *signavit in æra,*
Hospitis adventum testificata Dei.

Non ænea tamen, *Ætas* illa, sed *Aurea* dicta est; famâque fabulis multiplicante beneficium, persuasum est posteritati credulæ; terram, nullâ culturâ lacessitam, nullo subactam vomere, spontaneas profudisse fruges, omnia fuisse communia; nullas lites, nullas contentiones extitisse, rebus omnibus ad cujusque voluntatem fluentibus. De hac ætate Virgilius eleganter, Virg. 1. Georg. Vid. Tibul Hesiod. Pherecrat. Trog. ap. Justin. l. 43. Martial. l. 12. ep. 73. 8. Æn.

Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo,
Arma Jovis fugiens, & regnis exul ademptis.
Is genus indocile, ac dispersum montibus altis
Composuit, legesque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.
Aureaque *ut perhibent, illo sub Rege fuere*
Sæcula, sic placidâ populos in pace regebat.

Et Ovidius.

Signabat nullo limite, fossor humum. 3. Amorum, El. 7.

Quod totidem fere verbis Maro.

1. Georg. *Nec signare quidem, aut partiri limite campum. Fas erat.*

Saturni Nomen.

Serv. Æn. Lipſ. 3. Saturn. 1. Saturni nomen, à *Satu*; ſicut à *Portu*, Portumnus; à *Nuptu*, Neptunus; ſic à Satu Saturnus, (ita enim primitùs pronunciabant) dictus eſt, ut plerique cenſent; quòd videlicet ſerendi & colendi agros, primus artem docuerit in Italia, & Agriculturæ præeſſe credatur, unde *Sterculius* dictus à Romanis, quòd ſtercorandi & opimandi terram uſum induxerit; Ideòque cum falce pingitur, quâ prata ſubſecantur, & demetuntur ſegetes. Hanc falcem, fabulantur à Saturno

Apollod. 4. Argon. Ovid. 3. faſt. projectam in quandam Siciliæ urbem, nomine Drepanum: ab ipſa nempe falce, ita vocatam, quæ Græcè, Δρέπανον dicitur. Sunt tamen, qui ſic cognominatam putent, non ab Saturni falce, ſed ab illa, quam Ceres à Vulcano acceptam, donavit Titanibus, cùm eos metere docuit. Alii probabiliùs, id traxiſſe nominis autumant, ab ipſo ſitu loci; eſt enim in falcis modum arcuatus, & excavatus: Et quòd Sicilia tritici feraciſſima, & paſcuis uberrima ſit; quare non ſine cauſa, falx in eam potiſſimùm decidiſſe fingitur.

2. Saturnum quidam dici volunt, à *Saturando*; quaſi populos annonâ *Saturet*; quemadmodum & ejus uxor, *Ops*, appellata, quod eſurientibus *opem* ferat: vel, quod ipſe *ſaturetur* annis quos devorat. (Tempus enim, Saturnum eſſe ajunt.)

Cic. 2. de nat.

Apollophan. ap. Fulgent. 3. Denique nonnullis placet, ſic illud derivare, ut Saturnus idem ſit, ac *Sator* τῦ, mentem, ſenſumque creans, perficiensque præceptis ac prudentiâ.

SATUR-



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0153
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0154
DFG

SATURNALIA.

Sacra & Gesta.

SACRA Saturno fiebant humanis hostiis, quippe quem delectari crederent, placarique humano sanguine. Idcirco Gladiatores in ejus tutela censebantur, & adhibebantur in ejusdem Festis: Neque enim illum Romani numerabant in Diis superis, sed in inferis, auctore Plutarcho, quia, credo triste Saturni fidus ac maleficum; licet Terrestres inter Deos vulgo censeatur. Ipsi porro sacrificabatur aperto capite; *a* ejusque Mystæ seu Sacerdotes, *b* pallio coccineo velabantur. Ara accensis fulgebat fumabatque cereis. *c* ut significarent, Saturni beneficio, è tenebris errorum, ad veritatis lucem, homines fuisse traductos.

FESTA Saturni, quæ vulgo *Saturnalia* dicta sunt, Græcè Κρόνια; à Tullo *d* Romanorum Rege, *e* aut si Livio credimus, à Sempronio & Minutio Consulibus instituta fuêre; *f* unoque die peragebantur, Decembri mense, videlicet decimo quarto Kalendas, ad Cæsaris usque tempora: tunc enim trium dierum spatio celebrari cœpta; quibus mox quartus, ac deinde quintus dies additus à Caligula: nonnulli ad septimum usque diem prorogata fuisse scribunt. Hinc ille loquendimos, *Primis, Secundis, Tertiis Saturnalibus*. Sicque aucto Saturnalium dierum numero; primus deinceps numeratus est, à decimo sexto Kal.

Per eos autem dies Festos, *g* Primo cessabat Senatus. 2. Vacabant Scholæ, *h*. 3. *i*. Munera passim ab amicis ultrò citróque mittebantur. 4. Bellum indicere, & pœnas à nocentibus exigere, nefas. 5. Servis *l*. permittebatur, se adhibere lautiùs, & cum Dominis ludere, unde Ausonius. *m*

a Macrob. 1. Sat. c. 10.
b Tertul. de testim. anim. & de pallio.
c Macr. ib.
d Dion. Halic.
e Lib. 2.
f Lipsi. 1. Sat. Dio. l. 59. & 60. Suet. in Calig. Cic. ad Att. 13 Ep. 50.
g Martial. 7. Epigr. 27.
h Plin. 8. Epist. 7.
i Martial. passim.
j Dio. l. 58. Ath. 14. Senec. Ep. 47.
m Eclog. de mensibus.

Aurea nunc revocat Saturni festa December,
Nunc tibi cum Domino ludere, verna, licet.

Tertull. ap. Lipſ. Petron. Arbit.

6. Servis menſæ accumbentibus, impendebant Domini famularem operam; ad refricandam videlicet memoriam priſtinæ libertatis; nam Saturno regnante nemo ſerviebat. 7. Præter morem, manè, ſtatim à lecto lavabant, quaſi ad menſam tranſituri. 8. Veſte quadam cœnatoria; dicta *Syntheſis*, purpurei plerumque aut coccinei coloris, & quæ hominum tantùm lautiorum erat, pallii inſtar, utebantur.

SENSUS FABULÆ

HISTORICUS.

SATURNUS, NOE.

Beroſ. l. 3. Bochartus in ſuo Phaleg. l. 1. c. 1.

Et ſi nonnemo ſcribat, Saturnum, Nembrotum fuiſſe Imperii Babylonici fundatorem; magis tamen, in illius ſententiam propendeo, qui Noëmum eſſe aſſerit. Ad id credendum, adducor rationibus, quas adducit idem auctor: quarum præcipuæ, hæ mihi videntur eſſe.

Geneſ. 2. Plato in Politic.

I. Noëmi tempore, terra tota unius erat ſermonis, teſte Propheta, quod fabularum conſarcinatores, brutis quoque animantibus, attribuunt. Saturni quoque ætate; communem hominibus & belluis, aliquam fuiſſe linguam ajunt.

Geneſ. 9. 20. a Joſ. 5. 4. b Job. 22. 8. c 2. Sam. 16. 7. d Exod. 10. e Gen. 46. 32.

II. Noë appellatur Hebraïce, *Vir Terræ*, id eſt, Agricola: quaphraſi, nulla uſitatior in Sacris litteris, ſic enim, *a Vir belli*, pro Milite, ſumitur: *Vir Brachii b*, pro robuſto; *c Vir ſanguinis*, pro ſicario: *d Vir verborum*, pro diſerto; *Vir pecoris*, *e* pro Opilione. Saturnus verè, *Vir Terræ*, dici debet, quandoquidem Tellurem,

lurem, quæ eadem est ac Rhea & Ops, uxorem habuit.

III. Noë *plantavit vineam*, primusque vinitor fuisse dicitur. Et Saturno, vitium & agrorum cultura tribuitur. Aur. Vict. de Orig. Gent. Ro. Macrob. Sat. 1. c. 6.

IV. Noëmus vino succubuit semel, ejus vires fortè nondum expertus. Saturnalibus more receptum erat, multo mero se ingurgitare: & Ebrietati Saturnus præerat. Lucian. in ep. Sat.

V. Noëmus, Chami filii execratus est impudentiam, quòd verenda Patris vidisset, turpique spectaculo, oculos pavisset suos. A Saturno, latam esse legem fabulantur, quâ sancitur, ne quis Deos nudos impune videat. Callimac. in hymn.

VI. Κρόνῳ καὶ Ῥέᾳ, καὶ ὅσοι μετὰ τοῦτων, *Saturnus & Rhea*, uxor ejus, *& qui cum illo fuere*, ex Oceano, & Thetide nati perhibentur. Noëmus autem cum suis, ex aquis diluvii, arca velut obstetricante, prodiit in novam lucem. Potiori sanè jure meruit Noëmus, quàm Saturnus, ut in numis, si qui in ejus honorem cusi fuissent, exprimeretur navis effigies, quâ genus hominum universum, naufragio subduxerat. Plato in Timæo. Plut. in Ῥωμαϊκοῖς.

VII. Diluvium prædixit Noë: Et *Saturnus prænuntiat magnam imbrium vim futuram*, Κρόνος προσημαίνει ἔσεσθαι πλῆθος ὄμβρων *& fabricandam esse arcam, & in ea cum volucribus, reptilibus atque jumentis esse navigandum.* Alex. Polyhis. ap. Cyril. contr. Jul. l. 1.

VIII. Saturnus, filios omnes, tribus exceptis, Jove, Neptuno, & Plutone, devorasse dicitur. Noëmus autem qui, ut Pastor, & Propheta, omnium mortalium, qui tunc in vivis agebant, Pater dici potest, eos omnes absumpsisse & damnasse legitur, quòd diluvii aquis absumendos prænunciaret. Nam ex Scripturæ phrasi, Prophetæ dicuntur id facere, quod futurum prædicunt. Sic enim dicitur, *Quando veni ad perdendum civitatem*, id est, ad prænunciandum perdendam. Tres solùm filii superfuêre, Sem, Cham, Hebr. 11. 7. Ezech. 43. 3.

Cham, & Japhet; qui non alii videntur esse à Jove, Neptuno, & Plutone.

CHAM esse Jovem, hæ conjecturæ suadent. 1. Hebræum *Ham*, multi *Cham* scribunt; aspiratione densâ, mutatâ in χ Græcum; Ex illo autem nomine *Ham*, factum Ægyptium, Ἄμμων, & Africanum, *Ammon*, vel *Hammon*, quæ Jovis esse nomina, nemo nescit. 2. Cham filiorum Noë, fuit natu minimus; ut Jupiter, Saturni. 3. Jupiter Cœli Dominus esse fingitur; quia Chamo seu Jovi, obtigit Africa, cujus magna pars, cum Solem habeat & reliquos planetas supra verticem, putatur esse cœlo proxima. 4. Jupiter Patrem exsecuit, quod sumptum videtur ex his verbis perperam intellectis: *Et vidit Cham verenda Patris sui, & nuntiavit*, &c. Hujus enim verbi loco, *& nuntiavit*, Hebraicè *vejagged*; legi facilè potuit, *vejaggod*; quod significat, *abscidit*, tum maximè, cùm vocalis, punctа nulladum erant subscripta consonantibus.

Callimach. hymn. ad Jov.

Lactant. de fal. Relig. l. 1. c. 13.

JAPHET, idem qui Neptunus, quem ideo mari præfecerunt; quia portio, quæ illi obtigit, magnâ suâ parte constat insulis & peninsulis.

SEMUS autem, quâ ratione probabitur esse Pluto? Quibusve gradibus, descendisse ad Averni regna putandus est? An pietatis ac religionis, quâ fratres antecelluit, suumque nomen super astra extulit! Etiam, hæc sceleratis impiisque simulachrorum cultoribus, occasio, esse potuit, virum sanctimoniæ laude clarum, & idololatriæ hostem implacabilem, exagitandi, dum viveret; posteaque, mortui memoriam illustrissimam, fabulis obscurandi, Stygiisque illum addicendi tenebris, delato, per ludibrium, sceptro Inferorum.

PHYSI-



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0159
DFG

PHYSICUS FABULÆ SENSUS.

Saturnus, Tempus.

TEmpus, Saturni fabulâ, delineatum esse constat ex ipso nomine. Κρόνος enim, Saturnus, immutatione primæ litteræ, χρόνος, Tempus est. Cic. 2. de nat.

Præterea, Saturnus filios devorans, (talis sæpè pingebatur) eos demquè revomens, quid aliud adumbrat, quàm *Tempus edax rerum?* Illius quippe quasi dentibus conficiuntur omnia, iterumque interceſſu ſubſequentis temporis, renaſcuntur extincta, & colapſa redintegrantur. Orp. hymn. ad Sat. Æſchyl. in Eumen.

Quæ, ſi mavis ad ipſas temporis partes referre; Filios, hoc eſt, Dies, Menſes, & Annos, quos producit, deglutit idem, dum novos in novem lucem generat.

Deinde, Saturnus fingebatur aliquando, medius, geminos inter puellos, puellaſque geminas; quæ Temporis imago eſt, quod quatuor anni tempeſtates cingunt, ut nati, parentem.

Denique falcem gerit Saturnus, itemque Tempus, quâ falce cuncta demetit: Nam quid tam durum, quod falcis hujus retundat aciem?

JANUS.

Ejus Imago.

PALÆOPHILUS. O monſtrum! quid hoc eſt? Duplicem video frontem ac faciem, in uno eodemque capite.

MYST. Ita eſt; Bifrontem vides Deum, qui æquè à tergo poſita, atque à fronte proſpicit. Janum aſpicis, tenentem dextrâ Clavem, ſiniſtrâ

ſtrâ Virgam. Aras item cernis duodecim, ſubjectas pedibus. Cuperem autem, deponere ut manibus clavem illam & virgam poſſet, & digitos movere ad arbitrium, fortaſſis enim digitorum inflexione, & compoſitione varia ſignificaret tibi, quod olim ſolebat exprimere; ſcilicet trecenteſimum alterâ numerum, alterâ ſexageſimum quintum.

PAL. Haud ſatis planè capio, quæ dicis.

MYST. Faxo planè perfectéque capias, tum quæ auribus, tum quæ uſurpas oculis. Attende modò; nam quatuor præcipuis hujus Dei nominibus enucleandis, & hanc picturam explico, & quæcumque hoc loco dici de Jano poſſunt tibi declaro.

Nomina Jani & Geſta.

Arnob. contr. Gen. Cic. 2. de nat.

JANUS, quem quidam, Cœlo & Hecate procreatum fuiſſe ſcribunt, quaſi *Eanus* dictus eſt, quod *ab eundo*, nomen deductum eſt: *unde fit*, inquit Tullius, *ut tranſitiones perviæ*, Jani, (plurali numero) *foresque in liminibus profanarum ædium*, Januæ *dicerentur*. Jani, porrò illi, Romæ, locus erat, tribus Jani ſtatuis viſendus, quò ſolebant convenire creditores & fœneratores, alii ad reddendum, alii ad locandum fœnus. De his ſtatuis intelligendum eſſe Ciceronem cenſet Vir doctus; loquentem *dequibusdam viris optimis, ad Medium Janum ſedentibus*: & Horatium, dum *imum & ſummum Janum appellat*.

Acron. Hor. l. 2. Sat. 3.

Dempſt. in Paralip. l. 1. ep. 1. Virgil. Æneid. 12

Bifrons fingitur, & *Biceps* ad Ovid. vocatur,

Jane Biceps, Anni tacitè labentis Imago,
Solus de Superis, qui tua terga vides.

Quòd nimirùm, pro eâ, quâ præſtabat prudentiæ laude; præterita reſpiceret, ac futura provideret. Vel, quòd cùm mundus, Janus crederetur, geminâ facie, ſpectabat duas præcipuas mun-

mundi partes, Orientem & Occidentem: Quin etiam *Quadrifrons* efformatus est, à quatuor ejusdem mundi partibus, quas temperare putabatur, consilio & auctoritate. Vel, quòd sit dei Dominus, cujus ortum & occasum respicit. Sic enim Horatius:

Matutine Pater, seu, Jane libentiùs audis.
Unde homines operum primos, vitæque labores
Instituunt.

Hinc factum est, ut Jano primùm Bifronti simulacrum effecerint Romulus & Tatius, Romanorum & Sabinorum Reges, cùm in fœdera convenirent, *quasi ad duorum populorum, imaginem.* Eidemque postea Templum Bifronti, dicavit Numa, geminas habens fores. Posteà captis Falisci, Etruriæ Urbe, *inventum est*, ait Servius, *simulacrum Jani Quadrifrontis*; ex quo, portæ quatuor, in Templo Jani factæ sunt; sed de hoc Templo, mox. Serv. in 12 Æn. in 7. Æn.

CLAVIGER; gerit enim Clavem & Virgam; Virgam quidem, quasi viarum Rector, à Clavem, variis de causis. Lil. Gyr.

1. Quia valvas, fores, & feras inveniisse creditur, & ab ejus nomine *Januæ* dicuntur, ut ipse θυρωῖος, id est, *Janitor*, quia Januis præsidere putabatur.

2. Qui est veluti Janitor Anni, singulorumque Mensium; nam & ipsi Mensi primo præerat, quem de suo nomine Januarium appellavit; & præfectus erat cæterorum Kalendis, unde *Junonius* dictus est; quod Kalendæ omnes in Junonis essent ditione. Unde non invenustè sic invocatur à Poëta,

Annorum, nitidique Sator pulcherrime mundi. Mart. l. 10. ep. 28.

Hinc Aræ duodecim ipsi dicatæ, pro numero mensium, & in ejus templo, totidem loculi. Hinc etiam ille mos apud Romanos, ut in ejusdem templo, Consules inaugurarentur, qui Sidon. Apoll. carm. 2. 1. Sat. c. 12. Sidon. ib.

propterea dicebantur *aperire annum*, & Kalendis Januariis, (de Martiis quoque idem scribit Macrobius, nova laurea veteris loco, imponeretur Jani statuæ; sic enim Ovidius:

fast. 3. *Laurea Flaminibus, quæ toto perstitit anno,*
Tollitur, & frondes sunt in honore, novæ.

An, quod coronarum, quæ ex lauro ferè texebantur, inventor creditus? Hinc denique, quòd *Janus Geminus* (Plinii verba sunt) *à Numa Rege dicatus, digitis ita figuratis, ut trecentorum quinquaginta quinque* (*sexaginta quinque*, alii legunt) *dierum notâ, per significationem anni, temporis & ævi, se Deum indicaret.* Non quòd has manu notas teneret; sed quòd digitis certâ ratione flexis, constrictis, aut explicatis, eum numerum exhiberet. De quo numerandi modo varii varia.

Ath. l. 34. c. 7. V. Gyral. Tiraq. l. il. Gyr. Apulei. 2. Apolog. &c.

3. Clavem gerit, quia tanquam Janua est mortalibus, per preces ad Deos adire volentibus, ipsis quasi aditum patefaciens. Quod causæ fuit, cur in omnium Deorum sacrificiis: precationis principium, à Jano duceretur, eique priùs fieret, quàm aliis Diis: Hanc enim Janus ipsemet, interroganti,

Arnob. 3. cont. Gent. Ovid. 1. Fast.

----- Cur quamvis aliorum numina placam,
Jane, tibi primùm, thura merumque fero?
Ut possis aditum, per me, qui limina servo,
Ad quoscunque voles, inquit, habere Deos,

Hujus rei ratio inde petitur, quòd *fuerit*, inquit Festus, *omnium primum, à quo rerum omnium factum putabant initium, ideo ei supplicabant velut parenti.* Ex quo *m Pater*, peculiari cognomento dictus est; tametsi omnium Deorum communis, hæc esset appellatio: & quod primus Aras, Templa, cæterosque sacrorum ritus instituerit: propterea que *in omni sacrificio, perpetua ei præfatio præmittitur, farque illi, & vinum primò*

l. 3. v. *Chaos.* m Virg. 8. Æn. Juven. Sat. 6. Serv. in 2. Georg.

mò prælibatur; non autem *Thus*, quamvis Ovidius *Thuris* meminerit in allato suprà versu. Id enim, vel per licentiem dixit poëticam, vel de sua ætate loquebatur: nam primis, hoc est, ut Plinius scribit, *Iliacis temporibus, thure non supplicatum*; neque enim omisisset Homerus id annotare, qui nusquam *Thuris* mentionem fecit, in hujusmodi rebus ad sacra pertinentibus, cæteroquin accuratissimus: Nec ullum nomen Græcum est, quod *Thus*, propriè significet; nam θύον, non tam *Thus* est, quám quilibet suffitus. l. 13. c. 1. Dempst. in paralip.

PATULCIUS & CLAUSIUS, sive, ut alii loquuntur, *Patulacius* & *Clusius*, *à patendo*, seu *patefaciendo* & *cludendo*. Etenim belli tempore, Jani Templum patebat, pace verò claudebatur. Hoc Templum est, quod modò diximus à Romulo, post pacem cum Tatio initam, consecratum *Jano bifronti*, ut ostenderet, duos in unum coisse populos, Romanos videlicet & Sabinos. Ejusq; postea successor. Numa edixit, ut aperiretur in posterum, cum gereretur bellum; tum verò claudereretur, cum Romanus populus pace potiretur. Cur aperiretur autem, cùm in armis erat populus, conjectura hæc afferri solet; quòd Romulo contra Sabinos pugnante, calida aqua ex eo loco eruperit, quæ hostilem fugavit exercitum. Itaque, pugnaturi illud reservabant; simile à Diis quasi expectaturi subsidium; vel potiùs, quòd ad bellum ituri debeant de pace cogitare, optentque celerem in patriam reditum. Serv. 1. Æn. Claud. de 6. Hon. Conf. o Serv. in 7. Æn.

Utrumque nomen illud continetur hoc disticho.

Nomina videbis, modo namque Patulcius *idem*, Ovid. in Fast.
Et modò sacrifico Clusius *ore vocor.*

Aperiendi verò hujus Templi, & claudendi ritum, Virgilius ita descripsit. 7. Æn.

Sunt gemini Belli portæ (sic nomine dicunt)
Religione sacræ, & sævi formidine Martis

Cen-

Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri
Robora; nec custos absistit limine Janus.
Has, ubi certa sedet Patribus sententia pugnæ,
Ipse Quirinali, trabeâ, cinctuque Gabino
Insignis, reserat stridentia limina Consul.

Æn. 2. De claudendo porrò eodem Templo, ita Jovem inducit evolvendum Veneri arcana fatorum.

Aspera tum positis, mitescent sæcula bellis:
Cana fides & Vesta, Remo cum fratre Quirinus
Jura dabunt, diræ ferro & compagibus arctis
Claudentur Belli portæ, Furor impius intus,
Sæva sedens super arma, & centum vinctus ahenis,
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.

Liv. l. 2. Orof. l. 5. cap. 13. Dio. l. 51. Mirum est autem, intra septingentos annos, ter tantùm fuisse clausum hoc Jani Templum; primùm à Numa; deinde Consulibus M. Attilio, & T. Manlio, post fœdus cum Pœnis ictum, tertiò; ab Augusto, post Actiacam victoriam.

FABULÆ SENSUS.

Janus, *Emblema prudentiæ.*

Munst. 2. Cosm. 9. Fab. Pict. de Senect. JAni fabulam, (quem alii Noëmum, seu Noam; alii Ogygem; alii Sacerdotem, Philosophum, ac Theologum; alii denique antiquissimum Italiæ Regem Janiculi oppidi conditorem fuisse ajunt) Jani, inquam, fabula, hominis imago est ornari singulari laude prudentiæ; quæ, ut Tullius ait, sita est, in præteritorum memoriâ, & providentiâ futurorum. Debet igitur habere quasi duplicem vultum, vir

vir Prudens; ut perspectis quæ à tergo & fronte sunt, pro innatâ sagacitate mentis & maturitate consilii, rerum causas & principia videat; earum progressus, & tanquam anteceſſiones percipiat, componat similitudines, consequentia cernat, futura prospiciat, & subtili consequentium comprehensione cum primis, præsentibus ventura illiget, & præteritis futura connectat.

Clavem tenet vir Prudens; nihil enim usquam est tam abditum, quod sua perspicacitate non detegat; nihil tam secretum, atque tam clausum, quod solerti consideratione non recludat & propalet; nihil tam involutum, tamque intricatum, quod felici dexteritate non evolvat, non explicet. Hac judicii Clave rimatur omnes negotiorum vias, perveſtigatque quàm aptiſſimas; scrutatur opportunitates temporum, occasionum momenta disquirit, difficultates tollit, amovet obices, aperit profutura, obfutura condit inviolabili secreti serâ. Per illam denique Clavem, aditum sibi facit ad amicitiam, in penitiſſimos receſſus alieni pectoris insinuat seſe, consiliorum reserat adyta, arcanorum penetralia subit, obscura pervadit; incognita penetrat, à communi sensu remotiſſima quærit, invenit, contemplatur.

Aras, Templa, sacra Janus induxit. Est enim summæ absolutæque prudentiæ, supremo Numini debitos reddere honores, ejus revereri potentiam, amplificare cultum, propagare gloriam: Et sicut Janus, præstanti suâ in Deos religione, hanc meruit honoris prærogativam, ut primas, in omnium Deorum sacrificiis obtineret; ita, quò quis majorem Deo cultum exhibet, eò majorem ipse ab hominibus & ipso Deo consequetur, quod sacris tum oraculis, tum exemplis manifeſtum perspicuumque redditur.

VULCA.

VULCANUS.

PALÆOPHIL. Deus bone! Fabrumne ferrarium Diis immixtum video?

MYSTAG. Non fallit oculos imago. Fabrum ferrarium, & Deum cernis, Vulcani nomine; artem siquidem ferrariam exercuit, habuit officinam in Lemno insulâ; quo in loco, Jovis fulmina, Deorumque arma fabricabatur, etsi Deus.

PAL. Si Deus fuit, quis eum casus ad ustrinam contrusit, addixitque tam vili ministerio?

MYST. Corporis, credo, deformitas, ob quam, parentibus suis *p*, Jovi & Junoni, (solâ Junone genitum *q*, quidam ajunt) despectus, è cœlo præcipitatus est in insulam Lemnum, unde *Lemnius* dictus est *r*; quo casu, fracto sibi crure, claudus effectus est, cervicem porrò haud dubiè sibi fracturus, & caput, nisi Lemnii, pro humanitate, ruentem excepissent. Ipsius beneficium ut rependeret, sedem ibi fixit, & ferrariam fecit, multiplicem ferri & ignis usum docuit incolas, ex quo *Mulciber*, seu *Mulcifer* appellatus est, à *mulcendo*, & molliendo ferrum.

p Phurnut. de nat. Deor.
q Hesiod. & Lucian. de sacri.
r Virg. 8. Æn.
Lucan. l. 1

At, quod mirere, deformis licet fumosusque faber, Dearum tamen venustissimam, uxorem nactus est, nimirum Venerem, quam in adulterio cum Marte deprehensam, catenis constrinxit; ut diximus, deridendosque Diis propinavit. Minervam quidem ducere voluerat, & annuerat Jupiter, virginem objiciens, turpissimi tenebrionis libidini; sed repulsam passus, monstrum fœdissimum, in illo conatu nefario & irrito, deciso in terram semine procreavit, quod *Erichthonius*, ἀπὸ τῆς ἔριδος, καὶ χθονὸς, *ex contentione, & terra*, seu *Erichthæus* dictum est; draco-

ERICHTHONIUS.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0169
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0170
DFG

draconum pedibus horribile. Quam pedum deformitatem ut tegeret, primus curruum usum inveniſſe fertur. Annuerat, inquam, Vulcano Jupiter, ut pudicitiam, ſi poſſet, Minervæ opprimeret; cujus nuptias, præmii loco, cum Diis arma feciſſet, optione ſibi à Jove natâ, expetierat; ſed ſimul, ab eodem Jove præmonita Minerva fuerat, ut repugnaret, & virginitatem tueretur ſuam, quòd egregiè præſtitit. Virg. 3. Geotg.

Atque etiam, in ejus honorem feſta Romæ celebrata ſunt *Vulcanalia*; & feriæ ſolemnes, quibus diebus animalia conjiciebantur in ignem & ab Athenienſibus inſtituta fuere alia, quæ *Chalcea* dicebantur. Quin, & templum habuit in monte Æthna, ex quo *Æthnæi* cognomen ſortitus eſt. Cujus templi cuſtodes ferunt fuiſſe canes, ea narium ſagacitate præditos, ut caſtè ac religiosè, ad illud accedentibus, obviam procederent, adblandirentur, & comites ſeſe adjungerent, tanquam Vulcani Heri ſui familiaribus & amicis; ſceleſtos & facinoroſos, arcerent horrendis latratibus, dentibúsque dilacerarent. Varr. ap. Lil. Pollux, l. 7 ap. Lil. Gyr.

PAL. Audivi, ſi bene memini, fabricatam fuiſſe Jovis juſſu, ab hoc Vulcano fœminam; Verumne eſt?

MYSTAGOG. Næ, tu ridiculus es, qui quæras in fabulis veritatem. Ita quidem comminiſcuntur, fœminam, omnium primam, Vulcani malleo cuſam fictamque, ornatam poſtea fuiſſe, Deorum omnium donis; (ex quo dicta, *Pandora* eſt) ei Palladem, ſapientiam contuliſſe; Appollinem, muſicæ peritiam; Mercurium, bene dicendi artem; Venerem, formæ decus, alioſque alia tribuiſſe munera. Addunt, à Jove, in homines offenſo, quòd ignem è cœlo Prometheus ſubripuiſſet, ad animandum, quem efformârat, hominem, miſſum ad illam Pandoram, cum pyxide clauſa, quam ille oblatam Pauſan. in Attic. PANDORA.

noluit

noluit accipere; deinde ad Epimethei (frater Promethei erat) uxorem detulit, quam illa, pro innatâ sexui curiositate, simul ac aperuit, morbos, & mala omnia, quibus plena erat, in humanum genus effudit; solâ Spe, in pyxidis fundo remanente.

CYCLOPES.

Vulcani Administri.

PAL. Quid sibi volunt, atri illi ac tetri Monoculi?

MYST. Cyclopes sunt, famulatem Vulcano navantes operam, Neptuno & Amphitrite nati; *Cyclopes* dicti, quòd unicum haberent oculum in fronte mediâ, figurâ rotundâ, in modum circuli, qui κύκλος, Græcè dicitur. Trium Cyclopum meminit Virgilius: 8. Æn.

Ferrum exercebant, vasto Cyclopes in antro,
Brontesque, Steropesque, & nudus membra Pyracmon.

Non quòd tres illi sint tantum, nam multò plures esse, probant hi versus; Idem, Ibi.

---- Alii ventosis follibus auras
Accipiunt reduntque: Alii stridentia tingunt
Æra lacu: gemit impositis incudibus antrum,
Illi inter sese, multa vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe ferrum.

CACUS, ET CÆCULUS,

Vulcani filii.

CACUS, bipedum nequissimus, à suâ malitiâ

tiâ nomen trahens, (nam κακὸς, *malus* est) Latium latrociniis & incendiis infestabat; ferino more vitam agens, horrendumque antrum incolens. Hùc cum nocte quadam, boves Herculis abactos, caudâ traxisset, ne scilicet certis vestigiorum indiciis, perveniri ad fraudis cubilia posset, receptatoremque furtorum locum; Hercules, illac pertransiens, audito in clusorum bonum mugitu, perrumpit inspelunCam, & Virg. 8. Æn.

Cacum in tenebris incendia vana vomentem
Corripit in nodum complexus, & angit inhærens
Elisos oculos, & siccum sanguine guttur. Idem. ibi.

Sed ipsius speluncæ descriptionem accipe:

Hic, spelunca fuit fasto submota recessu,
Semihominis Caci, facies quam dira tegebat
Solis inaccessam radiis, semperque recenti
Cæde tepebat humus, foribusque affixa superbis
Ora virum, tristi pendebant pallida tabo:
Huic monstro Vulcanus erat pater; illius atros
Ore vomens ignes, magna se mole ferebat.

CÆCULUS, ita dictus, quod minores haberet oculorum orbes, (à quo Cæciliorum familiam, Romæ nobilissimam, ortam putant) rapto & latrociniis vixit. Ferunt, cùm mater ejus, igni assideret, scintillam in gremium ejus delatam esse; ex qua gravidam se credi voluit, expletisque legitimis mensibus, peperisse filium, Prænestinæ urbis aliquantò post, conditorem. Tradunt alii, Cæculum recens natum, à pastoribus, mediis in flammis inventum esse prorsus illæsum; indeque factum esse, ut Vulcani filius crederetur. Vir. 7. Æn.

POLYPHEMUS pastor, his addendus, monstrum haud absimile, Neptuno satum. Habuit enim similiter, ut Cyclopes, unum dumtaxat in fronte oculum; & non secus, ac ipse Cacus, Cæculusque, furtis ac cædibus vitam

sustentabat. Hunc, cum quatuor ex Ulyssis comitibus, pertractos in antrum, quod habebat in Siciliâ, devorasset, certus non abstinere dentes à reliquis; Ulysses atro vino inebriatum, torre in ejus oculum defixo, luce privavit. Rem concinnè, ornatéque, Maro ita sub aspectum subjicit:

3. Æn.

Visceribus miserorum, & sanguine vescitur atro.
Vidi egomet duo de numero cùm corpore nostro
Prensa manu magna, medio resupinus in antro,
Frangeret & saxum, saniéque aspersa natarent
Limina: vidi, atro cùm membra fluentia tabo
Manderet, & tepidi tremerent sub dentibus artus,
Haud impunè quidem; nec talia passus Ulysses,
Oblitusque sui est Ithacus, discrimine tanto.
Nam simul expletus dapibus, vinoque sepultus,
Cervicem inflexam posuit, jacuitque per antrum
Immensum, saniem eructans, ac fluctra cruento
Per somnum commixta mero; nos magna precati
Numina, sortitique vices, unà undique circum
Fundimur, & telo lumen terebramus acuto
Ingens, quod torva solum sub fronte latebat,
Argolici Clypei, aut Phœbæa lampadis instar.

FABU-

FABULÆ SENSUS.

VULCANUS.

Ignis Gemini Symbolum.

IGnem esse Vulcanum, ipsum Vulcani nomen indicat: sic enim dictus est, si Varro audiendus, ab Ignis vi ac violentiâ. *Vulcanus* primum dicebatur, quasi *Volicanus*, quod ignis per aërem volitet. Idcircò appingebatur ejus capiti pileus, cœlestis ignis Symbolum, qui purus & sincerus est; terrestris autem, quia imbecillior, & materiâ egens, *Claudus* jure fingitur. Præcipitatum ajunt è Cœlo Vulcanum, quia fulmen ex aëre decidit, quod quia sæpè cadit in Lemnum insulam, ideò susceptus à Lemniis, ruens Vulcanus creditus. ap. Lil. Ser. 8. Æus Euseb. de præp. Evang. Serv. ib.

Verùm ab hoc igne Vulcanio, ad Venereum transeamus; nam junctus Veneri, Vulcanus est. Quid ita verò, inquis? Quorsùm Deo ita deformi, tam formosa copulata Deo est; tam atro conjugi, sponsa ita venusta, ita candida; Accipe? Vulcanus, ignis est, & flamma Venus: Num ergo flammæ fuit meritò maritandus ignis? At, quis ignis? Planè tartareus, atque Cyclopicus. Hoc torretur & torquetur igne, qui se Veneri mancipat: Simul ac enim conceptus lenociniis alienæ formæ, sinum pectoris occupavit intimum, quas tunc, oro, strages non edit, quis non spargit faces, quæ non facit incendia, quæ non creat exitia? Hinc videlicet, languor ille, in Amante, frontis emortuæ, & lurida species oris, lethalisque genarum pallor, turbidaque oculorum lumina, & vultus cineribus concolor, fatalia latentis & grassantis intus ignis argumenta: Latentis, inquam, atque interiora tantùm depascentis. Nam ubi primùm

obstetricante impudentiâ, emicare cœpit flamma pestilens; & combusto modestiæ velo, erupit foras; perque occulta flagitiorum incrementa, sensim adolevit Erebi fœtus! Proh Superi! ut serpit, ut sœvit, ut furit, ut corripit & incendit omnia: Cerne Semelem: hoc igne est exusta. Herculum vide; illum ignis iste consumpsit. Trojam aspice; non aliâ flammâ conflagravit.

Perge: Te addixisti Veneri; Vulcanum illa te fecit, turpem, tetrum, fumosum, Stygiâ caligine obsitum, perpetuisque circumseptum, tenebris, ad flammam te licet exerceas. Caret siquidem ignis hic luce; tenebrasque obducit oculis; & gelu quod mirere, astringit animum, vel tum maximè, dum corpus voluptate colliquescit. O triste mulierosi viri fatum! ô amor verè Vulcanius ac ferreus! Quid enim aliud, quàm ferrum versat igne candens, qui Veneris amore ardet, qui fœminam perditè diligit? Num convertenda est in ustrinam domus? Num malleis, incudibusque perstrependum, & sudandum, ut molliatur, ut flectatur, & quasi limâ poliatur uxor, splendoremque à squallore viri accersat? Num absumenda, in illâ quasi fornace libinis, patrimonia; in favillam redigendæ possessiones amplissimæ, donec in ramenta, thesauri defluant, & evanescant in fumum illustres familiæ.

Nimirum, & iste quoque ignis, nullo satiatur pabulo; nec usquam remittit ardor, nec frigescit, unquam flamma Vulcania: Quia illam Venus suspiriis libidinosis assiduè ventilat, & lachrymis accendit, irritatque fastidioso frigore; tantò sævior, quantò blandior; eò illecebrosior, quò superbior. Quid? jam mirum, quod Vulcani tam multi, non in Lemno solum, sed ubique passim, ad hanc voluptatis ustrinam fabricentur fulmina, in suum videlicet contorquenda caput? Quòd è cœlo, in terram; hoc est,



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0177
DFG



est, è statu fortunæ supremo, ad infimam sæpè conditionem cum Vulcano, præcipites ruant, & è casu claudicent infortunati? Veneris hoc Amor effecit. Mihi si non credis, audi Poëtam, id ipsum confirmantem pereleganti Epigrammate. Pallad. l. 2. Epigr.

Υἱὸν ἔχεις Ἔρωτα, γυναῖκα δὲ τὴν Ἀφροδίτην,
Οὐκ ἀδίκως, Χαλκεῦ, τὸν πόδα χωλὸν ἔχεις.
Filium habes amorem, uxorem Venerem;
Non immerito, ô Ferrarie, pede claudus es.

ÆOLUS.

EXTINGUAMUS Vulcanum Æolo, Ignem, Vento; Nam quem Vulcano vides proximum, Æolus est, Ventorum Deus, Acestâ, vel Segesta Hippotæ filia, (à quo Hippotades cognominatus est) & Jove genitus. Habitavit in unâ ex illis septem Insulis, quæ de illius nomine *Æoliæ* dictæ sunt, quas nonnulli *Vulcanias*, à Vulcano nuncupant; Astronomiæ peritissimus, in eáque scientiâ præcipuè versatus, quæ ad naturam Ventorum pertinet; Atque ita, quòd ex nebulis, fumoque Vulcaniarum Insularum, Ventos ac tempestates, multo ante prædiceret, quàm exorirentur; vulgo creditum est, Ventos esse in Æoli potestate; quos posset cum liberet, emittere, vel coërcere. Unde Ventorum (quos ex Astræo & Aurora natus ajunt) Rex & Imperator habitus. Ovid 11. Metam. Palephat. l. incred. Varr. & Strab. ap. Serv.

Hunc Regem, ut adierit Regina Juno, Virgilius memorat, ejusque Regiam ita describit:

Nimborum in patriam, loca fœta furentibus Austris,
Æoliam venit: Hic vasto Rex Æolus antro
Luctantes ventos, tempestatesque sonoras,
Imperio premit, ac vinclis & carcere frænat.

Illi indignantes, magno cum murmure, montis
Circum claustra fremunt: celsa sedet Æolus arce,
Sceptra tenens, mollitque animos, & temperat iras.
Ni faciat, maria ac terras, cœlumque profundum
Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.
Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris,
Hoc metuens, molemque, & montes insuper altos
Imposuit, Regemque dedit, qui fœdere certo,
Et premere, & laxas sciret dare, jussus habenas.

MOMUS.

PALÆOPHILUS. Quid hoc hominis & nominis est?

MYSTAG. Quid tu in Diis, quæris hominem? Dei nomen est, à Græco Μῶμος; quod irrisorem significat. Illius enim officium est, ipsum quidem nihil operis edere, & otiosam agere vitam; in aliorum autem Deorum facta atque dicta acriter inquirere, & si quid est omissum, aut perperam admissum, id vero summâ cum libertate carpere, reprehendere, deridere.

Testes sunt, Neptunus, Vulcanus, & Minerva, qui de artificio contendentes, à Momo, qui fuerat electus litis arbiter, perstricti singuli sunt. Etenim, cùm Neptunus taurum, Minerva domum, Vulcanus effecisset hominem; Neptunum arguit imprudentiæ, quòd Tauri cornua, ante oculos, & in ipsa fronte non affixisset; sic enim majore vi, certiorique impetu, cornibus feriret: Domum autem Minervæ, id vitii habere dixit, quod

Lucian. in Hermod. & Deor. concil.


VESTA.
VESTA. P.R. QVIRITIVM.
VES TA

quod non esset versatilis, ut facilè moveri circumagique posset si quando vicinum non haberet bonum, Vulcanum denique fuisse inconsultissimum in efformando homine, sapientiúsque facturum fuisse, si fenestrasset pectus, quò cerni posset, quid in animo quisque strueret, num quid fallaciæ moliretur, num aliud sentiret, ac diceret.

PAL. Quibus ortus parentibus? Hesiod. in Theog.

MYSTAGOG. Nocte & Somno progenitum fabulantur, nec sine causâ. Tenebricosi siquidem & somnolenti, parumque videntis ingenii est, aliorum facta perstringere; cum nihil sit usquequaque perfectum, si à Deo discesseris, in quo aliquid non requiri possit; adeóque quòd reprehensioni non sit obnoxium.

DEÆ TERRESTRES.

VESTA.

EST hæc Matrona, quam hic sedentem, tympanumque gestantem aspicis, Dearum omnium antiquissima, Cœli uxor, Saturnique mater. Virg. 9. Æn.

PALÆOPHILUS. Si Cœli uxor est, cur non inter cœlestes potius recensetur, quàm terrestres Deas?

MYSTAGOGUS. Nempe, quia hæc Dea Vesta, Terra ipsa est; sic dicta, à *Vestiendo*, quòd plantis frugibusque Terra vestiatur. Vel, ut Ovidio placet, *à vi stando*; ait enim, 6. fast.

Stat vi, Terra, suâ, vi stando, *Vesta vocatur.*

Sedet autem, quia Terra immobilis, imâ mundi sede semper hæret. Gestat Tympanum; quòd Ventorem flatus horrisonos contineat sinu. Idcircò etiam floribus, plantisque variis Varr. ap. Aug. 7. de Civ. Cic. de somn.

circum enascentibus, & sponte in coronam flexis, Deæ caput ambitur, uti vides, omnis generis animalibus certatim circùm abblandientibus. Eandem ob causam, rotundum, terræ instar, hîc Romæ Templum habet; & ipsam etiam Vestæ effigiem, rotundam alicubi fuisse ajunt, & informem aliquando, Ovidio teste:

Phurnut.

6. Fast.

Effigiem nullam, Vesta, nec Ignis habet.

Plut. in sympos. Homer. in hymn. ap. Lil. Gy. Strab. l. 10.

Hinc quoque olim mensæ rotundæ, *Vestæ*, appellatæ sunt; quòd ad similitudinem terræ, ad victum necessaria subministrarent. Quid mirum, igitur, omnium sacrificiorum primitias, ipsi offerri solitas, cùm è Terra oriantur omnia, quæ offerri possunt? Et Græcos auspicatos esse à Vestâ, & peregisse sacra omnia, cùm Deorum omnium Mater habeatur?

PAL. Hæret adhuc animo scrupulus, quem mihi ut eximas, oro. Qui enim possunt ista sic habere, ut dicis; Quâ ratione, Vesta, *Terra* esse potest, cùm nihil fermè sit in hoc genere pervagatius, quàm, *Ignem*, Vestæ nomine intelligi?

MYSTAG. Ut video, non est mihi res cum peregrino: Eximam tamen, quem vocas scrupulum. Ergo sic habeto: Duas fuisse Vestas, antiquam unam, de quâ dixi, Cœli conjugem, & Matrem Saturni; juniorem alteram, Saturni, ex uxore Rheâ, filiam; de qua nunc agendum. Illa, *Terra* est; hæc verò, *Ignis*; ut mox intelliges. Hujus enim *vis omnis*, inquit Tullius, *ad aras & focos pertinet*, proque ipso *Igne* sumitur, ducta, à Græcò nomine ἑστία (quod *focum*, *penatem*, *domum*, significat) Vestæ appellatione. Et verò, domorum Præses & Custos habita est, unaque de Diis c Penatibus; nec immeritò, cùm domorum excitandarum artem induxisse feratur: Ex quo factum est, ut Romæ olim, in omnibus privatarum ædium vestibulis (à Vesta,

2. de nat. Deor.

c Hom. in hymn. Virg. 1. Georg. & 2. Æneid. Eugraph. in Andr. Terent. Act. 4. f. 3.

sta, *Vestibulum* dictum est) Vestæ simulacrum prostaret, qui quotidie sacrificare consueverant.

Virgo, hæc Dea fuit; & virginitatem tanti fecisse perhibent, ut cùm Jupiter ejus frater, optionem ei dedisset c quidvis postulandi, postulasse dicatur, sibi ut liceret semper esse virgini, & sacrorum omnium primitiæ deferrentur, quod non solùm impetravit, sed id honoris etiam apud Romanos obtinuit, ut in ejus templo, inter cætera Imperii sacra pignora, Ignis perpetuus & sempiternus, non in aris aut focis, d sed suspensus in vasis fictilibus, à virginibus Vestalibus custodiretur, tantâ sollicitudine, ut si casu quodam extingueretur, inducto justitio, publica privataque negotia intermitterent, donec prodigium illud infaustum expiassent, anxietate incredibili. Si verò id contigisset incuria Virginum, graviter in illas, ac plerumque virgis animadverterent. Cæterum, quamvis Ignis ille sacer non fuisset extinctus; accendebatur tamen quotannis, Kalendis Martiis, renovatâ, non ab illo igne, sed à sole flammâ.

Aristoph. in Vespis.

Val. Max. l. 5. c. 4.

Liv. l. 5. dec. 1.

d Val. Max. l. 4. c. 4.

Papin. l. 1. syl. 3.

Idem l. c. 1.

Ovid. 3. fast.

De utraque Vesta, *Terra*; & *Igne*, Ovidius ita cecinit:

6. fast.

Vesta eadem est, & Terra, subest vigil Ignis utrique,
Significant sedem, Terra Focusque suam.

FABULÆ SENSUS.

Vesta Ignis, Vitalis Calor.

EX iis, conjicere licet, cùm Vesta, *Ignis* esse dicitur; non de illo Igne Vulcani fulmineo, terrifico, torrente omnia, Poëtas loqui, nec de impura illa maleficáque flamma Veneris, de quibus modò dicebamus:

sed Ignem purum, sincerum, ac benignum intelligi, & quasi domesticum, cujus usu carere vita non potest: cujus calore per omnes corporis partes diffuso, vegetamur, fovemur, recreamur & alimur. Hic ignis est sacer, cœlestis, divinus, quem alimento quotidie reparamus, à quo pendet rei summa, & privatæ, ut ita dicam, reipublicæ cujusque salus; cujus flamma movet, agitatque corpus universum; qui extingui non potest, nisi cum vita; quo extincto, justitium verè indicitur, cessant enim motus omnes, & vitalis auræ negotium; quem si culpâ nostrâ extingui patimur, mortis propriæ conscii, digni reddimur, quorum memoria opprimatur ruinâ vitæ, defluatque in cineres nomen, & exemplo rearum Vestalium, quæ vivæ sepeliebantur, quidquid nobis post mortem, vitæ superesse potest in posterorum animis, illud omne, unà cùm cadavere tumuletur.

CYBELE.

Ejus Imago.

a Lucret. l. 2. de rer. nat.

PAL. Papæ! Turritum *a* hæc gestat caput! Quid sibi volunt Turres illæ structæ in coronam? Urbium & propugnaculorum Dea hæc est. Nunquid?

b Serv. in 3. & 10. Æn.

MYST. Non urbium solùm, sed omnium quæ tellus sustinet. Et enim Dea ista, *b* Terra ipsamet; quæ cum turritas sustineat urbes, turritam ideò coronam gestat in capite; Et in manu Clavem, *c* quod fortè non adverteras; quia hyeme, Terra quasi occludit sub sera suas opes, quas largâ manu, vere recludit ac profundit. Curru etiam vehitur, quia Terra, in sese suis nutibus conglobata, propriisque librata ponderibus: me-

c Isidor. l. 8.

dia


PATRI DE VM SALVTARI
S.C.
C.VOLTEIM.F

dia pendet in aëre. Rotis tamen sustinetur carpentum; quia rotatus mundus, & in orbem volubilis agitur. Trahitur autem à Leonibus, ut ostendatur, *d* nihil esse tam ferum & indomitum, quod pietate & benignitate materna non cicuretur, & tanquam sub jugum mittatur. Quod verò spectat ad illius vestem, *e* floribus pictam varii coloris, & variis animalium figuris distinctam, res explicatione non eget: Nam cui potius, quàm terræ conveniat ornatus hujusmodi?

d Ovid. 4. fast.

e Martian. ap. Lil.

Nomina Cybeles.

PAL. Itaque Terra, vocatur Dea hæc *f* Turnigera?

f Propert. 3. eleg. 16

MYST. Ne quaquam id ei nominis est, sed *Cybele*, dicitur, itemque *Ops*, & *Rhea*, & *Dindymene*, & *Berecynthia*, & *Bona Dea*, & *Idæa*, & *Pessinuntia*, & *Magna Deorum Mater*, atque etiam aliquando *Vesta*, varias ob causas, multiplicem hanc nomenclationem sortita, Dea & una & eadem, Vestæ antiquioris, Cœlique filia, & Saturni uxor.

CYBELE dicitur *g* à Cybele Phrygiæ monte, ubi ejus sacra primò instituta sunt. Vel *h* ἀπὸ τῆς κυβιστᾶν, quod ejus Sacerdotes in caput saltarent, comamque rotarent furiosi, horrendo ululatu futura prænunciantes. De quibus ita Lucatus. *h*

g Steph. Strab. Suid.

h Serv in Æn. 3. hl. 1.

----- *crimenque rotantes*
Sanguineum, populis ululârunt tristia Galli.

(Nam Galli dicebantur, ut mox dicam) vel ἀπὸ τοῦ κύβου: *Cubus* enim (figura est undique quadrata) ab antiquis ei dicabatur.

OPS, quòd opem ferat rebus omnibus, quæ hoc in orbe continentur.

RHEA, à ῥέω, fluo; quod bonis omnibus circumfluat.

DIN-

DINDYMENE, *k* & DINDYME, à Dindymo Phrygiæ monte.

BERECYNTHIA, *l* à Berecytho castello.

----m *Qualis Berecynthia mater*
Invehitur curru, Phrygiæ turrita per urbes,
Læta Deûm partu.

MATER enim Deorum vocatur, *n* & à Græcis, Pasithea, quòd nimirùm esset πᾶσι θεοῖς μήτηρ, *omnibus Diis mater.* Ejus sacra μητρῶα dicta, *o* & μητριάζειν, ea obire.

BONA DEA, *p* FAUNA, & FATUA: *Bona*, quòd omnium nobis ad victam, bonorum causa sit; *Fauna*, quòd animantibus favere dicatur; *Fatua*, à fando; quod infantes partu editi, non prius vocem edere crederentur, quàm Terram ipsam attigissent. Hæc Bona Dea, *q* uxor Fauni cujusdam fuisse fertur; quæ quia contra morem decusque regium, vas vinarium exhausisset, indeque facta esset ebria, virgis myrteis à viro cæsa & occisa est. Postea Rex facti pœnitens, mortuæ divinos detulit honores. Inde factum, *r* ut myrtus in Deæ hujus ædem non inferretur, & in ejus sacris, obvoluta vini poneretur amphora; vinumque mulieres cùm ebiberent, non vinum, sed lac, appellarent. *s* Tantæ porrò pudicitiæ fuisse dicitur ut nemo eam vir, præter virum suum, viderit unquam, vix nomen ejus audierit. Unde mos ille fluxit, in operto sacrificandi Bonæ Deæ, & viros excludendi ab templi aditu. Ita enim Tibullus: *t*

Sacra Bonæ, maribus non adeunda, Deæ.

Propterea locus ille, in quo ei sacrificabatur, *u* *Opertum*, dicebatur; & ipsa Sacra, *Opertanea* vocat *x* Plinius. Hinc *y* Silius Plutonem appellat; *Opertum Regem*, & Lucanus *z*

Nosse domos Stygias, arcanaque Ditis Operti.

Silentium enim, cùm in aliis omnibus, tum max-

k Hor. l. 1 Carm.
l Serv. in 6. Æn.
m Virgil. 6. Æn.
n Lucret. l. 2.
o Cœl. Rhod. l. 18. c. 17.
p Labeo ap. Lil. Sym. 4. BONA DEA.
q Sex Clod. ap. Lact.
r Plut. in probl.
s Juven. Sat. 9.
t l. 1. El. 6.
u Ex Cic. 1. ad Att. & in Parad.
x l. 10 c. 56.
y l. 13.
z l. 6.

maximè in Bonæ Deæ Sacris observabatur, ut observat Virgilius. *a*

a 3. Æn.

---. *Fidaque silentia Sacris.*

Pythagoreorum *b* certè Ægyptiorum dogma fuit, Deum colendum taciturnitate ac silentio, à quo sunt rerum primordia. *Loquendi, homines magistros habemus,* inquit Plutarchus, *c tacendi Deos; ab illis silentium accipientes, in imitationibus & mysteriis.*

b Ap. Ser. in 3. Æn.

c de loquaci.

IDÆA Mater, *d* ab Ida Phrygiæ, vel Cretæ monte: utrobique enim honore præcipuo culta est; ut etiam Romæ, *e* quò ex Pesinunte accita olim & inducta fuit, memorabili miraculo. Cùm enim navis, quâ vehebatur, ad Tiberis ostia, hæsisset vado; Claudia Vestalis, quæ ob amœniorem corporis cultum ingeniumque liberius, malè audiebat, suo cingulo navem facilè expedivit, & littori applicuit. Sic in urbem delata virginum manibus, omni effusâ civitate obviam, thuribulis ante januam positis, qua perferebatur, atque accenso thure precantibus, ut volens ac propitia urbem Romam iniret. Illud quoque, hoc loco memoria dignum; quòd, cùm ex Sybillinis versibus, à viro Romanorum optimo accipienda & introducenda esset, Idæa Mater: *f Haud parvæ rei judicium,* inquit Livius, *Senatum tenebat, qui vir optimus in civitate esset: veram certè victoriam ejus rei, sibi quisque mallet, quàm ulla imperia, honores ve suffragio seu Patrum, seu plebis delatos: Patres Conscripti, P. Scipionem, Cnei filium, ejus, qui in Hispania occiderat, adolescentem nondum Quæstorium, judicaverunt, in tota civitate virum optimum esse.*

d Lucret. l. 2.

e Liv. l. 9. dec. 3. Val. Lact. &c.

f Ibid.

PESINUNTIA, *g* à quodam Phrygiæ agro, in quem, hujus Deæ simulacrum è Cœlo cecidisse ferunt; ex quo casu, locus *Pesinus*, & Dea ipsa dicta *Pesinuntia*, ἀπὸ τῦ πεσεῖν *cadere*. Hic primùm Phryges, Orgia huic Deæ celebrare cœperunt, ad flumen Gallum, *h* unde *Galli*, ipsius

g Herod. l. 1.

h Fest.

ipsius Sacerdotes nominati sunt, ut nunc dicam, postquam monuero, fuisse Ethnicos hoc errore imbutos, ut qua in re maxime religionem sitam vellent eam è Cœlo lapsam mentirentur; taliaque simulacra Διοπετῆ dicebant, quasi missa à *Jove*; sic Ancile, sic Palladium, & effigies Deæ, qua de loquimur.

Sacra Cybeles.

i Apulei. 8. Metam. Claud. 1. de rapt.

Illud commune fuit, hujus Deæ & Bacchi sacris, quòd in utrisque, i incondito tympanorum fistularum, ac cymbalorum strepitu, & furiali sacrificantium ululatu, rei divinæ darent operam; turpissimisque verbis ac ceremoniis aures & aras violarent. Hoc singulare; quod *k* Templum precibus aperirent, non manibus; *l* quòd prohiberentur aditu, qui allium gustassent; quod sedentes, *m* consultóque terram tangentes operarentur, & Cor victimarum que, offerrent; quòd denique in arboribus, *Buxus* huic Deæ sacra esset, & *Pinus* etiam; Buxus quidem, quod ex ea fistulæ fierent, quarum magnus usus, in ejus sacris; *o* Pinus autem, propter puerum *Attym*, aut, ut alii vocant, *Attim* vel *Attinem*, quem Cybele adamaverat, sacrisque præfecerat suis eâ lege, ut perpetuò castitatem servaret illibatam; quam cùm voti sui parum memor Attys amisisset, ab irrata Dea in furorem actus, *p* seipsum eviravit, (id ab ipsamet Cybele factum, ait *q* Lucianus) sibique insuper manus afferre parans, in Pinum, Cybeles commiseratione mutatus est.

k Serv. in 6. Æn. l. Athen. ap. Lil. m Lil. Gyr. synt. 4.

o Virg. 9. Ser. 9. Æn

p. Aug. 7. de civ.

q De Dea Syria.

Cave autem, ut deludaris simulitudine nominis, & fictitium istum Atim, cum vero altero confundas, Crœsi Lydiæ Regis filio: Qui *r* ab ortu mutus, cum videret in prœlio militem, sublato ense, patri suo à tergo necem illatum ire, linguæ abrupisse vinculum dicitur, claraque voce, exitium propulsasse ab parentis capite.

r Herod. l. 2.

Sacer-

Sacerdotes Cybeles.

Jam monui, ejus Sacerdotes, *Gallos* dictos esse, à fluvio Phrygiæ, hujus nominis, è cujus aqua, *s* qui bibissent, furore perciti sese castrabant. Ipsi certè *Galli* Sacerdotes eorumque Antistites *Archigalli*, exsecti omnes, ex quo dicti *Semiviri*, in rabiem versi, quoties sacrificabant, sibi brachia cultris dissecabant; indeque factum, ut furiosi omnes & insani, *Gallantes* vocarentur. Sed præter hoc *Galli* nomen, *t* alias quoque appellationes nacti sunt, *Curetes*, *Corybantes*, *Telchines*, *Cabiri*, *Idæi Dactyli*, vulgò dicti; etsi non desunt, qui illos distinguant, quia tamen plerique confundunt, ajuntque fecisse illos omnes, Sacerdotes Cybeles, idcircò pauca hic de singulis.

s Lil. Gyr.

Varr. ap. Non. v. *Gastum.*

CURETES, fuisse dicuntur Cretenses, vel Ætôli, vel Eubœi populi, *u* sic appellati, ἀπὸ τῆς κουρᾶς, à *tonsura*; sic, ut Curetes, & *detonsi* idem ferè significent, Tondebant enim à fronte cæsariem, ab occipitio capillati; ne videlicet ab hoste, quod sæpè contigerat, anteriori comâ caperentur: seu quòd tanquam κόραι, id est, puellæ, muliebri & oblonga stola induti essent: sive ἀπὸ τῆς κουροτροφίας, ab *educatione*; quòd nimirum Jovem aluisse fama sit.

u Strab. l. 10.

CORYBANTES, *x* ἀπὸ τοῦ κορύπτειν καὶ βάλλειν; quod in sacris Cybeles, *caput jactarent*, inter saltandum, & quasi *cornibus arietarent* lymphatici. Cùm *y* sacris initiarent aliquem, collocabant in solio, & circùm, fatuorum in morem saliebant.

x Idem. ibid.

y Plat. in Euthyd.

TELCHINES, *z* ex Creta, in Cyprum, & inde Rhodum venerat, (quæ ab eis *Telchinis* dicta) fascinatores & famosi venefici; aut si aliis potiùs credendum est, homines de re publica, multarum artium inventione, benemeriti: Deorum enim statuas, primi fabricati esse feruntur.

z Strab. l. 14.

CABIRI,

a Strab. ibid. CABIRI, a seu *Caberi*, à Cabiris Phrygiæ montibus sic cognominati, ministri fuere Deorum, aut veriùs Dæmones; aut etiam Dii, ut quibusdam placet, aut iidem qui Corybantes, ut alii malunt.

b Sophocl. ap. Lil. IDÆI DACTYLI b, Magnæ matris ministri, & Assessores; *Idæi* dicti, quòd sub *Ida* monte degerent; *Dactyli*, quòd totidem essent quot *digiti*, quinque mares, totidemque fœminæ: & præsertim quod digitorum instar, c quorum operâ omnibus fermè in rebus utimur, Rheæ assiduè & ubique famularentur. Plures tamen, quàm decem multi fuisse asserunt.

c Jul. Pol. l. 2. Strab. Diodor. ap Gyr.

CERES.

Ejus Imago.

PALÆOPHILUS. Satis superque de Cybele dixisti, Mystagoge optimè; nunc edisseras velim, quæ Matrona illa sit, quam stantem hìc intueor, staturâ procerâ conspicua, majestate venerabilis, subflavo capillo decora, d spiceâ cidari cingente caput; grandibus, protensisque mammis turgente sinu, præferens dextrâ f facem accensam; & lævâ, spicarum, papaverumque manipulos.

d Ovid. 4. fast. e Arnob. l. 5. contr. gent. f Martian. 2. de nupt.

IMAGINIS EXPLICATIO.

Genus & Gesta Cereris.

g Hesiod. in Theog. MYSTAGOG. Ceres ipsa est, mi Palæophile, g Saturno & Ope, procreata: formæ decore ita præstans, ut ipsos etiam Deos, in sui amorem & admirationem converteret: A Jove certè, Neptunoque fratribus suis deamata & oppressa h, illi Proserpinam, huic

h Idem ibid.

au-



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0195
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0196
DFG

autem, incertum, equumne an filiam, peperit. Ajunt enim quidam *i* Cererem, ut insequentis Neptuni libidinem declinaret, in obvium equarum gregem sese immisisse, induisseque protinus equæ figuram: quo animadverso, Neptunus, & equus ipse factus, equam iniisse dicitur, & Arionem equum genuisse. Consentit Ovidius, *k* hoc carmine.

i Procl. in Georg. Virg.

Et te, flava comas, frugum mitissima Mater,
Sensit Equum.

k 6. Metam.

Hinc fortè illud, quod Pausanias *l* refert: Aram fuisse in Elaio Arcadiæ monte, Cereri dicatam: cujus simulacrum ligneum specie fœminea, sed capite equino, flammis invictum integrumque in mediis duraret ignibus. Narrant alii non Equum Cererem enixam esse, sed filiam: quam nominare nefas ducebant Arcades *m*, sed propriâ, ob reverentiam appellatione, Δέσποιναν, (hoc est, *Heram*) vocabant, & Magnam Deam, quo etiam nomine, Matrem ipsius, Cererem ornabant.

l in Arcad.

m Paus. ibid.

Cæterùm, ægerrimè tulit Dea, pudorem amissum, & luctum atrâ veste testata est, (*Melæna* inde dicta, id est, *Nigra*) abdiditque se in tenebricosos speluncæ recessus, ibique ita latuit, ut Deorum nemo scire posset, quid illa factum esset. Pan tamen sylvarum Deus, eam fortè in antro reperit, statimque Jovi nunciavit, qui Parcis ad eam allegatis, persuasit denique, mœrorem ut poneret, emergeretque tandem aliquando è latibulis; quod fecit, magnò omnium bono & lætitiâ. Etenim per id tempus, quo illa delituit, ingenti calamitate universum animalium genus affectum esse fabulantur, corruptis ubique locorum, terræ frugibus ac cibariis.

PAL. Quid ita verò, delitescente Cerere, corruptæ fruges?

MYSTAG. Quid? Nescis Cererem, Deam esse frugum? Ductum ejus fuisse nomen à gerendis frugibus? ut Ceres sit *a* quasi *Geres*, aut *b* quasi *ferens*; vel ab antiquo verbo *Cereo*, *c* quod idem est, ac *Creo*; quod cunctarum frugum creatrix sit & altrix; Non audisti, eam esse, quæ *d* colendi terram, serendi legumina (excepta fabâ) & frumenta, & ex iis conficiendi panem, invenit artem, docuitque homines, cum *e* antea glande vescerentur? Audi Poëtam: *f*

Prima Ceres, unco glebam dimovit aratro,
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris;
Prima dedit leges. Cereris sunt omnia, munus.

Cùm enim antea squallerent agri, ab omni cultu derelicti, & sentibus, inutilibusque plantis inhorrescerent; nulla erat cuique propria fundorum possessio,

Nec signare quidem, aut partiri limite campum,

curabant, sed omnia omnibus communia erant. At verò, simul ac beneficio Cereris, agricultura invecta est, cœptum est, de agrorum finibus litigari; eamque primam volunt fuisse legum ac Juris originem. Indeque dicta Ceres, *g* Legifera, Θεσμοφόρος; & ejus Sacra, Θεσμοφόρια: Atque etiam Δημήτης, quasi γημήτης, *Terra Mater*.

PAL. Intelligo jam, quid illa sibi velit spicea Corona, quam gerit; nondum tamen, quod papaverum manipulus ille significet.

MYST. Non id tantum exponam tibi, sed reliqua etiam enucleabo sigillatiùs, priùsquam de papavere dicam.

1. Eleganti specie corporis insignem aspicis; quia Terra, quam Ceres refert, pulcherimum exhibet, amœnissimumque spectaculum intuentibus; tum præcipuè, cùm vestita plantis, arboribus distincta, ornata floribus, locupletata fru-

a Cic. 2. de nat.
b Matern. de prof. Rel. c. 8.
c Scalig. & Serv. in 1. Georg.
d Callimach. hym. in Cerer.
e Plin. 7. cap. 36.
f Ovid. 5. Metam.
g Virg. 3. Æn. Serv. ibid.

frugibus, herbescenti viriditate nitens, speciosos veris honores explicat, autumnique munera, liberali manu profundit.

2. Flavus capillus est; is enim spicarum color aureus, postquàm maturitatem assecutæ sunt.

3. Mammas habet *h* lacte turgentes; (ex quo *Mammosæ* nomen adepta est) quia *i* fœcundata seminibus, & frugibus fœta, omnia parit & fundit ex sese; & tanquam mater alit, & cibos suppeditat, unde *Altrix k* nostra, & *l Alma* dicitur.

h Lil. Gyr. Synt. 14. i Cic. 2. & 3. de nat. k Idem 2. de leg. l Virg. 1. Georg.

4. Facem tenet accensam, ob Proserpinam à Plutone raptam; quam cùm investigare, & conquirere Ceres vellet, *m* dicitur inflammasse tædas iis ignibus qui ex Æthnæ vertice erumpunt; quas sibi cum ipsa præferret, orbem omnium peragrasse terrarum.

m Cic. 5. in Ver.

5. Papaver gestat; quia cùm dolore confecta, nullam quietis partem capere posset, papaver ei edendum præbuit Jupiter, *n* plantæ vim inesse ajunt, soporem & oblivionem creandi; somno itaque, mœrorem aliquantisper mitigavit, non tamen orbitatis oblita est; postque multosque cursus recursusque, didicit demùm, quid accidisset suæ Proserpinæ: ut suo loco dicam.

n Serv. 1. Georg.

PAL. Ille verò Juvenis, quem in curru serpentibus alatis juncto, sedentem video, ecquis est?

MYSTAGOG. Triptolemus est, cui currum illum suum donavit Ceres. Is, Eleusii cujusdam (Cereum alii vocant) viri principis filius educatus à Cerere hac occasione fuisse fertur. *o* Quærebat, terra ac mari, Proserpinam Ceres; cùm ex itinere divertit in Eleusium oppidum. Excipitur hospitio, à Triptolemi patre, & in gratiam beneficii ejus filium, adhuc infantem, alendum suscipit; *p* cœlesti ac divino lacte, illum enutri-

TRIPTOLEMUS.

o Callim. hym. in Cer.

p Serv. Geor. 1.

ens interdiu; noctu verò eundem operiens igne. Educationem humanâ majorem prodidit paucis diebus puer solito citiùs ac feliciùs adolescens. Quocirca admirans pater, nosse cupit, quo se pacto gerat Ceres erga filium; dumque è latebris contemplatur omnia, videt ignitis carbonibus à Cerere obrui suum Triptolemum. Exclamat continuò Eleusius, necari natum; opem laturus advolat. Hic Ceres deprensa, inconsultam hominis curiositatem morte punit. Tum Triptolemum, *q* huic, quem cernis, currui impositum, per universum orbem mittit, ad usum frumentorum hominibus indicandum; quod egregiè præstitit, Triptolemi nomen sortitus, quasi τρίπτας τὰς ἄλας, à *terendo hordeo*. Sic rem describit *r* Ovidius:

q Hygin. fab 147.

r 5. Metam.

----- Geminos Dea fertilis angues.
Curribus admovit, fraenisque coërcuit ora,
Et medium coeli, terraeque per aëra vecta est
Atque levem currum, Tritonida misit in urbem
Triptolemo; partimque rudi data semina jussit
Spargere humo, partim post tempora longa reculta.

STELLES

PAL. Et ille Stellio? nam stellionem, credo, ad Cereris video pedes.

s Ovid. 5. Metam.

MYST. Puer *s* olim fuit, à Cerere in bestiolam mutatus lacerto similem. Murationi locum dedit, ipsius procacitas. Cum enim Ceres aliquando, ex itineris labore, siti æstuans, ad casam quandam accessisset, & ab Anu quadam ibi degente, aquam ad os colluendum supplicitèr precata, accepisset etiam polentam; dum avidùs Dea illam exsorbet, irrisa est à petulante puero, hujus vetulæ filio, cui Stelles, erat nomen. Movit Cereri bilem, insolentis audacia, & in ejus os, potionis partem indignabunda projicit; qua respersione in Stellionem versus est. Ille

Fugit

Fugit anum, latebramque petit, aptumque colori
Nomen habet, variis stellatus corpora guttis.

Sed, num advertis hominem illum, humi sese volutantem, dentibusque sua laniantem ac mandentem membra?

PAL. Adverto; quod ei nomen? & quam ob causam, sibi crudelis, suos ita divellit artus? ERESICHTHON.

MYST. Eresichthonem vocant; t qui Cereris sacra contemnens, cùm ejus lucum violasset, & quercum unam succidisset, hac affectus pœnâ est, ut fame inexplebili diu tortus, consumptis cibis ac bonis omnibus, coactus sit ad sustentandum corpus, membra discerpere, horrendamque sibi afferre mortem, quo vitam tolerare posset. t Idem 8. Metam.

Cereris Sacra.

E sacris omnibus Cerealibus, id est, quæ in Cereris honorem institutæ variis in locis, ac celebrata sunt, hæc fuere præcipua.

ELEUSINIA, (quod etiam fuit ipsius Deæ nomen) ab Eleusio oppido, u in quo primùm peragi cœpta. Horum x alia erant Majora, Cereri; Alia Minora, dicata Proserpinæ. Qui y Majoribus initiari vellent, moris erat, ut vestes, quas tunc gestarent, non priùs exuerent, quàm usu detritæ in frusta concidissent. In utrisque mirum silentium, z perpetuaque taciturnitas; sic, ut ex iis quidpiam evulgare, nefas esset. Hinc natum in Taciturnos adagium, ἀττικὰ Ἐλευσίνια; & *Mysterii* nomen, ἀπὸ τοῦ μύειν, *os claudere*. Faces in iis accensas ferebant, ad refricandam memoriam quæsitæ à Cerere Proserpinæ tædis ardentibus, per trivia & compita, Proserpinam magis clamoribus vociferantes, tristique ululatu complentes omnia. Ita Servius, in illud Virgilii, a *Noctur-*

u Paus. in Att.
x Plut. in Demetr.
y Aristop. in Pluto.
z Senec. l. 7. nat. q. cap. 31.
a 4. Æn.

Nocturnisque Hecate tribiis ululata per urbes.

b Pindar. in Isthm. Ludi præterea *b* dabantur, in quibus victores coronam reportabant hordeaceam.

c Plin. l. 24. THESMOPHORIA, *c* sic dicta ab ipsa Cerere, quæ Θεσμοφόρος, id est, legum latrix appellata est, inducta fuere à Triptolemo. Iis Matronæ, quæ perpetuam servare castimoniam decrevissent, initiabantur. Per dies aliquot indicebatur jejunium; vinum verò, *d* ab ejus aris amovebatur omnino; unde illa manavit parœmia, *Cereri nuptias facere*, qua uti solebant veteres, si quando in convivio deesset vinum. Porcus immolabatur Cereri, *e* quòd frugibus obsit illud animal, ut Ovidius ait. *f*

d Serv. 3. Æn.

eidem ib.

f 2. fast.

Prima Ceres, abidæ gabisa est sanguine porcæ;
Ulta suas meritò, cæde nocentis, opes,

Coronæ spiceæ offerebantur, ut Tibullus asserit.

Flava Ceres, tibi sit nostro de rure, corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.

g Serv. in 1. Georg. AMBARVALIA, *g* hoc est, Sacra, ad lustrationes arvorum, & fertilitatem agris impetrandam, instituta; sic dicta, quòd *ambiret arva*, & per agros circumduceretur victima; quemadmodum *Amburbium* sacrum dicitur, quia circuit & ambit urbem victima. Agebantur autem à singulis agricolis, victimam, porcam nimirùm gravidam, aut vitulam *h*, maturis frugibus per arva & sata, ternâ circuitione ducentibus, læto clamore, festâque saltatione ac plausu prosequentium rusticorum, personantibus latè campis. Eorum unus, quernâ coronâ redimitus, decantabat interea Cereris laudes; & post oblatum mulsum lacte mixtum, antequam colligerent fruges, Porcam Cereri immolabant. Hujus sacrificii ritum ita descripsit Maro: *i*

h Virg. Eccl. 3.

i 1. Geor.

Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret;
Cui tu lacte favos, & mitti dilue Baccho;

Terque


Q·POMPONI·
MVSA·
Q·PO
MVSA·
Q·POMPONI·
MVSA·



Terque novas circum, felix eat hostia fruges.
Omnis quam chorus, & socii comitentur ovantes,
Et Cererem clamore vocent in tecta, neque ante
Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quàm Cereri, certâ redimitus tempora lauro,
Det motus incompositos, & carmina dicat.

MUSÆ.

PALÆOPHILUS. O venustatem! ô suavitatem! ô elegantiam!

MYSTAGOG. Nempe, novem illas Virgines aspicis, *k* palmâ coronatas; nonne? k Cornut. ap. Lil.

Earum Imago.

PAL. Certè: sed, quàm pulchrè rident? quàm blandè renident? quàm decenti fulgent habitu! quàm decorè sedent, ad illius laureti umbram? quàm scitè, lyra canunt aliæ, citharam aliæ sollicitant, inflant aliæ fistulam, pullant aliæ cymbala, vocem aliæ fidibus modulatè temperant. Illas mihi certè omnes audire videor, junctis animis, ac linguis, atque digitis, discordi sonorum concordia, & discrepante numerorum consensione, vocem implicantes, illidentes, ac copulantes, concentum efficere jucundissimum, qui per aurium sensus, delicato titillationis lenocinio, mentem suavissimè suffuretur.

MYST. Musæ sunt videlicet, *l* Musicorum, Poëtarumque præsides; Conviviis sacris, *m* festivitatibusque præfectæ, & Magistræ scientiarum omnium. Eas *n* Jupiter & Mnemosyne Nympha genuêre, ac deinde in Pierio *o* monte

l Orph. hym. Mus. m Id ibid. n Hesiod. in Theog.

o Tzetz: Chil. 6. hist. 90.

te natæ sunt, etsi alios alii parentes affingant, & Veteres, Cœli filias dicant, Jove antiquiores. Ab Mnemosyne seu memoria, & Jove dicuntur procreatæ, ut significetur, qui ad literarum studium appellunt animum, eos ingenio & memoria valere debere.

PAL. Unde illud

Musæ nomen?

q Plat. in Cratylo.

MYST. Musæ olim Mosæ dictæ sunt *q* ἀπὸ τῦ μῶσθαι, id est, *ab inquirendo*; quod ea inquirant, hominesque doceant, quæ ab iis ignorantur. Vel ἀπὸ τῦ μυεῖν, quod est, *bonâ honestâque disciplinâ instituere.* Alii *Musas* dictas putant, quasi

r Cassiod.

ὁμοιώσας, id est, *similes r*, quòd inter omnes disciplinas similitudo sit, & quædam quasi affinitas & cognatio; quâ inter se omnes conjunguntur & copulantur. Ex quo, ita ferè pingi solent, ut se mutuò tenentes, choros agere videantur; in medioq; sedeat Apollo, earum Dux. Eo certè modo, naturæ penicillus illas expressit in Achate gemma, quam Pyrrhus ille, qui bellum gessit in Romanos, digito gestasse dicitur. In illa

s Lib. 37. cap. 1.

gemma, inquit Plinius, *s* novem Musæ, & Apollo citharam tenens spectabantur, non arte, sed sponte naturæ, ita discurrentibus maculis, ut Musis quoque singulis, sua redderentur insignia.

Musarum Propria Nomina.

PAL. Quod fuit singularum proprium nomen?

MYST. Istud singulis fuit nomen, à propriis cujusque corporis vel animi dotibus factum.

Prima, CALLIOPE, ἀπὸ τῆς καλῆς ὀπῆς, à *bonitate vocis* ita dicta; Rhetoricæ præesse creditur, omniumque habetur præstantissima.

Secun-

Secunda, CLIO, ἀπὸ τῦ κλέος, *t* à *gloria*, & celebritate rerum gestarum, quas canit, quæ eadem Historica dicitur. t Schol. Apollon.

Tertia, ERATO, ab *u* canendis amoribus: ἔρως enim *Amor* est) vel, quod homines docti, ab aliis amentur & laudentur. *Saltatrix* etiam dicitur; Choris enim præsidet, *x* & saltandi artem invenit, ut etiam Poëticam. u Ovid. 2. de art. x Procl. in Hesiod.

Quarta, THALIA, à voluptate ac lascivia cantus. Θάλλειν enim, *vibere, germinare, florere est.* Huic quidam Comœdiæ, alii Geometriæ inventionem attribuunt.

Quinta, MELPOMENE, à *canendo*, sic appellata, μέλπομαι namque *canto* & *modulor* significat; vel, ἀπὸ τῦ μέλος ποιεῖν, *à concentu faciendo*; unde & Tragœdiis præsidere putatur; & cantilenas invenisse.

Sexta, TERPSICHORE, ἀπὸ τὸ τέρπειν τοὺς χορεύοις, quod Choreis delectet, à quibusdam dicitur *Citharistria*.

Septima, EUTERPE, vel EUTERPIA, quasi bene delectans, ob suavitatem concentus, (εὐτερπὴς enim, jucundum significat) eam nonnulli, *Tibicinam* vocant, *quod Tibiis* præesse credatur; ajunt aliqui inventam ab illa Dialecticam.

Octava, POLYHYMNIA, POLYMNIA, seu POLYMNEIA, quòd *memoriâ* excellat; μνεία enim *memoria* est, & πολὺς, *multus*. y Huic historiæ conscribendæ usus attribuitur, ad quam multâ memoriâ opus est. Ejus etiam inventum est, quod carminibus additæ sint, ait Cassiodorus, z Orchestrarum loquacissimæ manus, linguosi digiti, silentium clamosum, expositio tacita, uno verbo, Gestus & Actio. y Plut. in Sympos. z In variis l. 4.

Nona; URANIA, ἀπὸ τῦ οὐρανῦ à Cœlo, ita dicta, & Cœlestium rerum cantu; vel, quòd ejus opera, homines, ad cœlos evehantur laudibus, seu quod scientiarum beneficio in cœlestium rerum contemplatione versantur.

Bahus. 4. Epig. 1.

Hæc novem Musarum nomina, hujus ævi Poëta, complexus est disticho: hoc est, novem Musas, undenis tantùm, quod mirere, stare pedibus jussit. Ecce illa; quò memoriæ facilius hæreant, inter se nexa.

Calliope, Polymneia, Erato, Clio, atque Thalia,
Melpomene, Euterpe, Terpsichore, Uranie.

Musarum Communia Nomina.

PAL. Quæ fuere autem nomina omnibus communia?

MYST. Præcæteris illustrissima hæc sunt.

HELICONIDES, seu Heliconiades, ab Helicone Bœotiæ monte.

a Pers. in procem.

PARNASSIDES, à Parnasso Phocidis Regionis monte *a* bicipiti; in quo, qui somniasset, Poëta repente fiebat vigilans. Larnasus primùm dictus, à Larnace, id est, arcâ Deucalionis, quæ illuc delata fuerat, Parnassus verò, multò post diluvium, à Parnasso quodam hujus montis in cola.

CITHÆRIDES, seu Cithæriades, à Cithærone monte, quem incoluêre.

AONIDES, ab Aonia regione.

b Pers. in procem.

PIERIDES, & Pieriæ, *b* à Piero, vel Pieria Thraciæ monte, aut à virginibus Piero & Anippe natis; quæ cum Musis certare ausæ, in Picas mutatæ sunt.

c Ovid. 5. Metam.

PEGASIDES, & Hippocrenides, ab Heliconis clarissimo fonte, qui à Græcis, *Hippocrene* dicitur, id est, *Equifons*; ἵππου siquidem, Equum, & κρήνην, fontem vocant; unde & à Latinis, *Caballinus* *c* dicitur, à Caballo, seu Equo; itemque *Pegaseius*, quod Pegasus alatus Equus, eo loco, saxum ungula feriens, fontem aperuisse fertur, cujus aquas, *d* vocales fuisse, fabulantur.

d Sidon. Apollin.

AGANI-

AGANIPIDES, & Aganipææ, ab Aganippe fonte.

CASTALIDES, à Parnassi fonte Castalio.

Musarum Numerus.

PAL. Quis Musarum fuit numerus?

MYST. Terras tantum *e* initio fuisse, scribunt aliqui: idcircò quia sonus, ex quo fit cantus, natura triformis est, aut enim sola voce fit, aut flatu, ut in fistulis; aut percussione, ut in citharis ac tympanis: vel *f* ob triplicem intentionem vocis & organorum omnium, acutam, mediam, & gravem: vel *g* ob hujus ternarii numeri perfectionem, qui ipsi etiam Deo convenit: vel denique, quia disciplinæ universæ, in tres potissimum partes dividuntur, Philosophiam scilicet Rhetoricam, & Mathematicam. Quæ tres partes, cùm rursùs in tres alias distribuantur; Philosophia, in Logicam, Ethicam, & Physicam; Rhetorica in Genus Demonstrativum, Deliberativum, ac Judiciale; Mathematica, in Musicam, Geometriam, & Arithmeticam; hinc factum est, ut non tres tantùm, sed novem fuisse Musæ credantur.

e Var. ap. Aug.

f Censorin. de die nat.

g Phurn. de Deor. nat.

Aliam occasionem novenarii hujusce numeri alii afferunt; videlicet, quòd *h* cùm Sycionis urbis cives à trib⁹ celeberrimis artificibus, curassent statuas Musarum faciendas, ternas à singulis, empturi deinde ex iis novem, tres duntaxat, quas maximè probassent; tam exquisito artificio perfectæ sunt singulæ, ut novem omnes emptas, in templo collocarint. Quibus deinde Hesiodus, ea, quæ nunc recensui nomina imposuisse dicitur.

h Varro ibid. ex Lil. Gyr.

PAL. Fueruntne virgines?

MYST. Ajunt alii, *i* alii negant, qui & liberos; ab illis susceptos recensent. Verùm, utut est, Musas nemo temnat, nisi perniciem sibi velit accerse-

f Plut. ap. eund. vid. Nat. Com.

cerſere exemplo *Thamyræ* ſeu Thamyris, qui formæ decore nitens canendique arte præſtans, non eſt veritus *k* in certamen cantus illas provocare, eâ conditione, ut ſi vinceretur, pœnam daret, quam vellent repoſcere: victus quippe lyrâ & oculis privatus eſt.

k THAMYRIS Homer. l. 2. Iliad. Plut. de Muſic.

THEMIS, ASTRÆA.

NEMESIS.

PALÆOPHILUS. Tres hæ Deæ conferunt capita, ut video, ac magnis de rebus in commune conſulunt.

MYST. Ita quidem arbitror: Eadem videlicet omnium eſt fermè provincia, & idem munus ſingulis injunctum; ſed ſingulas inſpiciamus propiùs.

l Heſiod. in Theog. THEMIS, prima earum, *l* Cœli ac Terræ filia eſt; cujus officium eſt; præcipere hominibus, ut id agant quod æquum, juſtum, & fas eſt. Et hoc ipſum Themidis nomen ſonat: nam Θέμις, Latinè, *fas* eſt. Hujus propterea Deæ ſimulacrum, ad eos afferri ſolebat, *m* qui dicturi eſſent ad populum, apud quod ſederent & verba facerent, monerenturque hoc ſpectaculo, nihil dicendum eſſe publicè, quod æquum & ſanctum non eſſet. Ajunt, Themidem oracula ediſſe Delphis, ante Apollinem, *n* quamvis Apollini, *o* Nectar & Ambroſiam miniſtrare, Homerus aſſerat. *p* Fuit alia Themis, Jovis conjux, ex qua natæ dicuntur, Juſtitia Lex, & Pax; cui tribuit Heſiodus præclarum hoc Epithetum, αἰδοίην, hoc eſt, *Pudibundam* appellans: cui nimirum pudorem afferat, quidquid præter jus & æquum admittitur. *Carmentam* eam vocat Euſebius, *q* quod carminibus, edictisque ſuis, præcipiat unicuique, quod juſtum eſt; longe aliam ab ea

m Ex Lil. Gyr.

n Ex Ovid. 1. Metam. *o* Hymn. in Apoll. *p* Heſiod. in Th. Id.

q l. 3. præp. Ev.

CAR-

CARMENTA Romana, quæ alio nomine *Themis* & *Nicostrata* dicitur, Evandri mater, mulier fatidica, r à Romanis culta, quod futura prædiceret; sic appellata, à *Carmine*, vel quasi *carens mente*. Ara huic dicata fuit, ad Carmentalem portam, sub Capitolio, & Templum hac occasione extructum est. Cum enim, usu vehiculorum, seu lecticarum, à Senatu matronis interdictum esset, illæ conspiratione facta, neque se uterum laturas, neque parituras, palam minatæ sunt, ni rescinderetur edictum illud. Et fecere, quod minabantur, donec Senatus, mutatâ sententiâ, earum voluntati obsecutus est, usumque vehiculorum permisit. Exinde cum parere cœpissent, & liberorum copiâ se claras viderent, Templum Carmentæ posuerunt. CARMENTA. r Solin. in descr. Rom.

ASTRÆA, Astræi, unius è Titanibus, *s* & Auroræ filia, seu, ut alii malunt, Jovis ac Themidis, Justitiæ Antistita credebatur. Eam Poëtæ fingunt, aureo illo sæculo, è cœlo in terras migrasse, tandemque mortalium sceleribus offensam, repetisse cœlum, cùm cæteris Diis, sed omnium ultimam. s Hesiod. in Theog.

Victa jacet pietas, & virgo cæde madentes
Ultima cœlestum, terras Astræa reliquit. t Ovid. 1. Metam.

Sæpè sumitur pro ipsa justitia; de illa enim, idem quod Ovidius, Maro. *u* u 1. Geor.

---extrema per illos.
Justitia excedens terris, vestigia fecit.

Concessit autem in eam cœli partem, quæ etiamnum hodie, *x Virgo* dicitur. x Boccat. l. 4 Geneal Deor. c. 53

NEMESIS, *y* Jove & Necessitate parentibus, vel ut aliis placet, Nocte & Oceano genita habita fuit Dea *a* scelerum ultrix, & remuneratrix virtutum, quid quemque facere deceat, ostendens, inquit Plato. Indeq; suum traxit nomen, ἀπὸ τῆς ἑκάστῳ ἐπανομήσεως, *à distributione, quæ unicuiq; fit.* Illa fuisse a Jove compressa dicitur, mutato in y Pausan. in Arcad. a Dial. 2. de leg.

Anse-

Anserem, b & aliquantò post, Ovum peperisse, quod obvio Opilioni dedit, ad Ledam deferendum: In arca clausit Ovum Leda, & ex illo, paulò post, Helenam prodiisse ferunt. Sed hac de re aliter alii. Nemesi sacrificabant Romani, ad bellum profecturi, ut significarent, se nunquam arma movere, nisi justa.

b Apollodor. l. 3. Biblioth.

ADRASTÆA, alio nomine dicitur, ab *Adrasto* Argivorum Rege, c qui primus ei aram condidit, vel ἀπὸ τοῦ διδράσκειν, *fugere*, quod videlicet nemo nocens effugere queat pœnam suis sceleribus debitam, etiamsi serò illum assequatur aliquando Nemesis, Non enim suis semper alis, (a latam enim d fingunt) ad insectandos facinorosos utitur: Nimirum

c Strab. Pausan.

d Idem in Attic.

Ad scelerum pœnas altrix venit ira Tonantis,
Hoc grabiore manu, quo grabiore pede.

RHAMNUSIA item appellatur, a Rhamnute Atticæ oppido, ubi templum habuit, in quo, e ejus statua ex uno lapide, decem cubitos alta, mali ramum tenebat manu, & coronam f gerebat in varia cervorum sigilla incisam. Rotam præterea adhibuere, velocitatis, qua in ultionem feratur, symbolum. Hinc Claudianus:

e Strab. l. 9

f Paus. in Att.

Sed Dea, quæ nimiis obstat Rhamnusia votis
Ingemuit, flexitque rotam.

DII SYLVESTRES AC RUSTICI.

AD secundam dextri hujus parietis partem devenimus, quæ Sylvestrium Deorum ac Dearum imagines exhibet. Hic, Deos vides, Pana, Sylvanum, Faunos, Satyros, Silenos,



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0213
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0214
DFG

nos, Priapum, Aristæum, Terminum: Illic Deas, Dianam, Palem, Floram, Feroniam, Pomonam, Nymphasque innumerabiles.

PAL. Quos tu mihi Deos? Illane cornuta monte semiferosque homines villis obsitos, caprarum pedibus, equorumque caudis instructos, Deos appellas?

MYST. Quippeni? cùm Deorum honores obtinuerint. Ac jam eorum Principem contempletur.

PAN.

Ejus Nomen.

PAN, Græcè πᾶν, *Omne*; ità dictus; quòd ex omnium Procorum *g* congressu cum Penelope natus, ut ajunt aliqui; vel, quòd omnium *h* Deorum mentes exhilararit, fistulæ ab illo recens inventæ sono, ac citharæ cantu, quâ vix dum in lucem editus, peritè ceciniſſe dicitur; vel, quod *i* rerum omnium universitatem regat mente, exprimatque corpore, ut nunc dicetur.

g Samius.

h Hom. in hymn.

i Phurn.

INUUS, à Latinis vocatus est, *k* ab *ineundo* passim cum omnibus animalibus; unde etiam dictus, *Incubus*.

k Serv. in 6. Æn.

LUPERCUS, & LYCEUS Romæ *l* appellatus & cultus: In cujus honorem Templum, ad Palatini radices, erectum est, & Lupercalia festa instituta, in quibus, Luperci Panos Sacerdotes, nudi per urbem discurrebant.

l Justin. l. 43.

Genus.

Incertum quidem hujus Dei Genus; communis tamen opinio est, Mercurio & Penelope genitum. *m* Cum enim hanc ille deperiret, nec in flc-

m Herod. in Eut.

flectere ad sua vote posset; dicitur in candidissimum mutatus hircum ejus amorem meruisse, & pascentem patris sui Icarii greges, in Taygeto monte gravidasse; natum inde Pana, *n* leporis involutum pelle, extulisse in cœlum. Sed quid hîc ego verbis te moror? Cerne ejus Imaginem.

n Hom. in hymn.

Imago.

PAL. Ille est Pan; ille semicaper; Ille cornutus, pinu coronatus, ore rubro, ac ridenti, caprinis pedibus, hircinâ caudâ, pelle obductus distincta maculis, baculum *o* tenens incurvum manu alterâ, alterâ fistulam, imparibus compactam calamis? O ridiculum Numen, ad terrorem pueris incutiendum, peridoneum!

o Lucian. in Bacch.

MYST. Atque etiam viris, mihi crede. Ajunt enim, Gallis *p*, qui Brenno Duce, in Græciam irruperant, cum Delphos jam jam essent expilaturi, per noctem, injecisse terrorem tantum, ut fugam insequente nemine, cum summa trepidatione, ad unum omnes arripuerint. Hinc *Terrores* illi, *Panici*, *q* vulgò dicti; cum quis sine causa perterretur.

p Pausan. in Phocaicis.

q Plut. l. de Isid. & Osir.

Atque audi jam, quid illa Panos Imago significet. Est, inquiunt, Pan universæ naturæ symbolum, ut paulò ante monui; supernè, humanam gerens, speciem, infernè belluinam: Quia Mundus hic, parte superâ & cœlesti, pulcher, radians ac renidens, ut hujus Dei facies, cornibus, Solis radios, & Lunæ cornua referens; & oris rubore, splendorem ætheris; & pelle maculosâ, quâ cingitur, stelliferum cœlum: Parte inferâ, deformior, hirsutus; propter virgulta, feras, & arbores. Caprinos habet pedes, ut ostendat terræ soliditatem: fistullam septem calamorum, ob cœlestem harmoniam, quam septem planetarum sonis effici ajunt: ῥάβδον habet,

habet, id est, pedum, seu incurvum à summo baculum, propter annos in se recurrentes. Hæc est explicatio Servii.r

r In Eclog. 2. Virg.

Gesta.

PAL. Sed quid puellæ illæ, circùm tripudiantes?

MYST. Nymphæ sunt, quæ ad fistulæ cantum, quam ipse Pan invenisse dicitur, choreas agunt. Etenim

Pan s *primus calamos cerâ conjungere plures*
Instituit.

s Virg. Eclog. 2.

Miraberis autem, ubi audieris, quod de hac fabulantur t fistula. Videlicet, quoties eam inflaret Pan, toties ovium ubera impleri lacte.

t Ibicus Poët. Græc.

Pastorum siquidem Deus u est ac venatorum, Nympharumque Dux, vitæ rusticanæ, ac montium Præses, & gregum in montibus errantium Tutor.

u Orph. in hymn.

x Pan curat oves, oviumque magistros.

Cæterùm, tametsi specie turpissimus, mutatus tamen in niveum Arietem, Lunæ placuisse dicitur; Virgilio y teste:

x Virg. Eccl. 2.

y 3. Geor.

Munere sic niveo Lunæ, (si credere dignum est)
Pan Deus Arcadiæ, captam te, Luna, fefellit.

Placuit & Echoni Nymphæ, è qua filiam Iringem sustulit, quæ Medeæ dicitur dedisse medicamina, a ad Jasonem capiendum. Et Dryopi non potuit non placere, cujus amore captus, Divinitatem quodammodo exuit, seque Pastorem fecit. (Quid Divino in nos amori convenientiùs effingi potuit?) Non tamen Syringi Nymphæ b ridens Deus, arridere valuit. Cùm enim fugiens illa fœdum amatorem, obvium haberet fluvium; atque ita effugere non

a Theætet. Poët. Gr. Hom. in hymn.

b SYRINX.

posset illius vim, ajunt, orasse Naïades aquarum Nymphas, ut suam ei formam adimerent, (quod impetravit) c

c Ovid. 1. Metam.

Panaque, cùm prensam, sibi jam Syringa putaret,
Corpore pro Nymphæ, calamos tribuisse palustres.

(fuerit enim mutata in Arundinem.)

Dumque ibi suspirat, motos in arundine ventos
Effecisse somnum tenuem, similemque querenti,
Arte novâ, vocisque Deum dulcedine captum.

Efformasse ex arundine illa fistulam, cui Puellæ nomen, *Syrinx* mansit. Alia tamen inveniendæ fistulæ causa profertur, à d Lucretio. Ait enim:

d Lib. 5.

Quòd *Zephyri cava per calamum sua sibila primum*
Agrestes docuere, cavas inflare cicutas;
Inde minutatim dulces didicisse querelas
Tibia, quas fundit, digitis pulsata canentum.

Offerebatur huic Deo, in sacrificiis, lac e & mel, in pastorum poculis; & in Arcadia præcipuè colebatur: unde tam sæpe dicitur, f *Pan Deus Arcadiæ.* Ab illo dictam esse *Hispaniam*, ferunt, g cùm antea *Iberia* vocaretur, quòd è bello redux Indico, ad quod profectus erat cum Baccho, aliisque Satyris, regna illa incoluerit.

e Theocrit. in viatorib.
f Virg. 3. Georg. 4. Ecl.
g Ap. Lil. Gyr.

SYLVANUS.

QUAMVIS Sylvanos, Faunos, Satyros, Silenos, plenique Scriptores confundant cum Pane; quia tamen sunt qui distinguunt, de iis ex nos agamus separatim, facto, à Sylvano initio. Ergo,

Quem

Quem Pani vides proximum, senem, cruribus caprinis, *h* humanâ facie, staturâ pusillum, *i* protenrà manu cupressum tenentem; Sylvanus est, sic dictus à *Sylvis* quibus præsidet. *k* Cyparissum puerum amavit, cui Cervus erat mansuetissimus, in delitiis; hunc cum imprudens occidisset Sylvanus, effectque præ dolore mortuus puer, illum Sylvanus mutavit in arborem sui nominis; quam deinde reliquâ vita, in solamen mœroris, semper gestavit: ita enim illum compellat *l* Virgilius:

Et teneram à radice ferens Sylvane cupressum.

Sylvanos plures fuisse dicunt; eosque matronarum pudicitiæ insidiari solitos, & pro comperto esse, eos unà cum Faunis, *quos vulgo incubos vocant*, (verba sunt *m* Augustini) *improbos sæpe extitisse mulieribus, & eorum appetisse, & peregisse concubitum*, *n* & prægnantibus infestissimos esse.

h Ælian. var. hist.
i Mart. 5. de nupt.
k Serv. in Æn. & Georg. Virg.
l 1. Georg
m Aug. de Civ. 15. c. 23.
n Var. ap. eund.

SILENUS.

ILLUM autem, qui sequitur, grandævum, simis naribus, calvo capite, auribus magnis & patulis, corpore exiguo, obeso, & ventrioso, baculo innitentem, cum pedes incedit, (nam hic pando asello insidet) Silenum vocant, *o* à verbo Σιλαίνειν. (quod est, *in aliquem dicta dicere, dicteriis quempiam defigere*) Bacchi nutritium pædagogum, & comitem assiduum, adeoque ferè semper ebrium. Ita enim illum depingit *p* Virgilius.

o Ælian. 3. Var. hist. c. 40.
p Eclog. 6.

Silenum pueri somno videre jacentem,
Inflatum hesterno venas, ut semper, Baccho.
Serta procul tantùm capiti delapsa jacebant,
Et gravis attritâ, pendebat Cantharus ansâ.

(*Cantharus*, est poculi genus, quo Bacchus utebatur.)

batur.) Hinc fiebat, ut vino madidus, titubantes gressus, ferulâ regeret; (ferula est arbusculæ genus, ex quâ, Sileni baculus) Audiendus Ovidius, *q* de ipso ita loquens.

q 4. Metam.

Quique senex ferulâ titubantes ebrius artus
Sustinet, & pando, non fortiter hæret asello.

r 2. de art. am.

Et alio in loco. *r*

Ebrius ecce senex, pando delapsus asello:
Clamarunt Satyri, surge, age, surge pater.

Silenum quippe observabant ut parentem Satyri, ipsiq; cum senuerant, Sileni dicebantur. Utrq; de Sileni Asino dicam, aliqui fingunt, post bellum à Jove, contra Gigantes, feliciter confectum, fuisse relatum *t* Asinum illum inter sydera, quod illo vectus Silenus, egregiam Jovi navâsset operam, & opem tulisset.

s Paus. in Attic.

t Arat. l. desing. aq. &

u Plut in consol. Apoll.

Ajunt denique, *u* Silenum aliquando captum percunctanti, quidnam esset hominibus optimum, siluisse diu primùm, tum respondisse, *omnibus esse optimum, non nasci; & natos quàm citissimè interire.* Quam sententiam totidem ferè verbis habet Plinius. *x Multi*, inquit, *extitere, qui non nasci optimum censerent, aut quàm citissimè aboleri.*

x in præfat. lib. 2.

SATYRI.

FEN, intuere: Satyri vocantur, quos lasciva corporis agitatione, saltitantes aspicis, sub illa quercu procera, & patulis diffusa ramis. Habent & ipsi caput cornibus armatum, caprinosque pedes ac tibias & manus aduncas, totumque corpus villis hispidum; *y* caudamque insuper, equinâ haud multò minorem. Nullum animal, hoc Deorum genere salacius ac libidinosius; unde etiam traxere *z* nomen; nimirùm à nomine Græco σάθη, *veretrum*. Exemplo id Pausanias *zz* probat quorumdam nautarum,

Pausan. in Att.

z Eusseb. præp. Eu.

zz Ibid.

rum; quos in desertam insulam cùm tempestas abripuisset, viderunt se derepente circumseptos Satyrorum grege; Exanimatis præ metu nautis & vectoribus, in navem insiliisse: viris relictis, irruisse in fœminas, omne turpitudinis genus exercuisse in earum corpora.

FAUNI.

ET hi, quos vides, junctos Satyris nomine tenùs discrepant, Fauni dicti, specie certè quidem non absimiles. Nam & *a* Cornuti sunt pariter, atque Cornipedes; *b* pineis coronati ramis; ebrios quoque, aspectu solo, *c* stupentibus similes efficere crediti sunt; ab agrestibus hominibus, Dii Agrestes *d* habiti: Quibus, ut terrore Numinis, venerationem conciliarent, cornibus illos armarunt & unguibus, terribiliq; specie depinxerunt.

a Ovid. 2. fast.
b Idem in OEnone.
c Id. in Phædra.
d Virg. 1. Georg.

Faunum *e* (qui & *Fatuellus*, dictus est) Pici Latinorum Regis filium, qui Faunam, seu Fatuam sororem ac conjugem, *f* mulierem fatidicam, primus consecravit, Faunorum, Satyrorumque parentem fuisse ac Ducem, fama est: *g* Faunum autem ac Faunam, à *fando*, seu vaticinando dictam, ajunt. Unde *g Fatuos* dicimus temerè & inconsideratè loquentes, *h* itemque mente captos; quòd qui vaticinentur, quasi alienatâ mente loqui soleant, quæ ipsi plerumque minime capiunt.

e Serv. in 7 Æn.
f Nat. Com. l. 5.
g Serv. in 7. Æn.
h Isid. Hispal. Epis.

PRIAPUS.

PALÆOPH. Hem! Cur Nudus iste Deus, cum falce sua, ponè truncum illius arboris, mediâ sui parte latet?

MYST. Pudori consuluit Pictor, qui totum non exhibuit. Pudendum enim & obscœnum

est, Priâpi nomen & numen ; pudetque me turpissimi hujusce Dei propalare fabulam.

Dicam tantùm fuisse Priapum, Veneris & Bacchi filium ; quem illa cum peperisset Lampsaci, aversata ejus deformitatem, & enormem pudendi membri magnitudinem, abdicasse illum dicitur. Gratus tamen mulieribus Lampsacenis, ab illarum maritis urbe pulsus est ; sed postliminiò revocatus, Oraculi jussu Hortorum Deus habitus fuit : herbis hortensibus propterea coronatus. Falcem gestat, ut levet arbores, detergendis abnormibus ramulis ; ut fures belluasque arceat, & abigat noxias aves ; ex quo *Avistupor* dictus. Ejus idcircò simulacrum in hortis collocari solitum ; quòd Tibullus innuit hoc disticho :

Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
Arceat ut sævâ falce, Priapus, aves.

c 4. Geor. Quod idem faciendum monet Virgilius c

Et custos furum atque avium, cum falce saligna
Hellespontiaci servet tutela Priapi.

d Sat. 8. Nam Lampsacum, Priapi patria, urbs est Hellesponti. Lepidissimè Horatius d hoc ipsum adstruit, Priapi statuam inducens ita loquentem :

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum ;
Cùm faber incertus, scamnum faceretne Priapum,
*Maluit esse Deum, Deus inde ego, furum avium*que
Maxima formido.

Hujus porro Dei deformitatem, inde natam ajunt, quod Juno, Venerem cum vidisset gravidam, zelotypia flagrans, ejus uterum, specie ferendi opem parienti, malevolâ manu, tetigit ; ex quo tactu, turpitudinem fœtus contraxit, & fœdum nomen, *Priapus* dictus, & *Phallus*, & *Fascinum*, tria nomina, obscœnitatem reddentia.

tia. Quamvis ab aliquibus, *e Bonus Dæmon, & Genius* appelletur. e Vid. Phurnut.

Quanquam, quid Junonis opus contactu? Aliusne, à Baccho & Venere expectandus fœtus est? Aliane suscipi proles, ab ebrioso viro, impudicæ conjuncto fœminæ?

ARISTÆUS.

ARISTÆUS vocatur, quem in illo Olearum novelleto aspicis, suis unamquamque stirpium adminiculis sulcientem, suis dirigentem subsidiis. Excolit enim quod primus omnium excogitavit; oleum videlicet ex olivis elicere docuit, sed & mellis usum invenit, ideóque juxta vides Apum alveos per ordinem dispositos. Quas ob res *f* lumma cum utilitate inventas, divinis illum honoribus affecit antiquitas. f Pauf. in Arcad.

Aristhæus, inquam, est, (*Nomii, & Agræi*, cognomen habuit) *g* Apollinis ex Cyrene filius; aut Liberi patris, ut scribit Cicero; *h* à Nymphis educatus, doctusque artem conficiendi olei, mellis & casei. Hic, cùm Eurydicen Orphei uxorem, perditè amaret; illaque insequentem fugiens, à serpente percussa periisset, incurrit, in odium Nympharum, quæ apum omnium strage ac morte, illius mortem ultæ sunt. Tantam jacturam cum deploraret Aristhæus, implorato matris auxilio, didicit ex oracuło, placandam esse sacrificiis Eurydicen: Quod cùm faceret, Taurosque quatuor, totidemque Juvencas immolaret, ingens apum examen, à bobus erupisse dicitur, itáque jacturam resarcisse suam. g Apoll. l. 2. h 6. in Ver.

TERMINUS.

PALÆOPH. Ille autem lapis ingens, aut truncus, (neque enim certum ex hoc loco possunt oculi judicium ferre) quem ad finem hic situs est?

MYSTAG. Hos inter Deos Agrestres, suum locum obtinet; nam & ipse Deus est.

PAL. Deum dicis? Jocaris certè nunc.

MYST. Non jocor. Deus est, hac in urbe Romana, magno in honore habitus; Terminum vocant cujus in tutela sunt agrorum fines. Testatur id poëta, illum sic appellans. *i*

i Ovid. 2. Fast.

Terme, sive lapis, sive es desertus in agro
Stipes; ab antiquis, tu quoque numen habes.

Fuit enim hujus Dei statua, vel *k* quadratus lapis, aut dedolatus stipes, unguentis oblini; & sertis coronari solitus; de quo ita *l* Tibullus:

k Arnob. 1. contr. Gent. Clem. Alex. 7. strom.

Nam veneror, seu Stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in trivio, florida serta lapis.

l Tib. 1 Eleg 1

De eodem Seneca. *m*

m in Hip. act. 2. sc. 1.

---- Nullus in campo sacer
Divisit agros, Arbiter popilis Lapis.

n Dion. Halic. l. 2.

Erant quippe sacri, *n* lapides hi *Terminales*, (ita enim dicebantur) qui statuebantur in agrorum finibus; sic, ut illos, siquis movere loco ausus esset, aut exarare, aut transferre aliò, ejus caput Diis Terminalibus sacrum ac devotum haberetur, fieretque potestas cuilibet, illum perimendi.

Quid? quòd lapidibus hujusmodi sacra faciebant, non immolatione hostiarum, nefas enim erat illos cruentare victimarum sanguine; sed libis Cerealibus, frugumque primitiis. Quin etiam, festa in eorum honorem, extremo anni die,



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0225
DFG

die, agi solebant, quæ *Terminalia* dicebantur. Sed jam ad Deas transeamus.

DEÆ SYLVESTRES.

DIANA.

PALÆOPHILUS. Benè habet. Occurrit tandem Dea, *o* staturâ corporis, cæteras supereminens, in cujus virgineo vultu, acquiescat oculorum acies, horrido monstrosissimorum Numinum spectaculo, nimium quantum fatigata. Salve Diana Virgo; nam *p* Venatoribus hic habitus, arcus ille, quem manu tenes, & illa pharetra sagittis instructa, quam suspensam gestas ab humeris, *q* & pectus cervinâ munitum pelle, & illa oris species severè mitis, austera suaviter, audax verecundè, ornata negligenter, te illa omnia Virginem prædicant; & vel ipsum Græcum nomen quod habes, Ἄρτεμις, *r* pudicitiam integritatemque tuam commendat. Utinam, Dearum excelsissima, ut proceritatem *s* impertis, ita fœminis omnibus ingenerares *integer*, amorem castimoniæ! Odisti, scio, odisti virorum consuetudinem; atque etiam aspectum refugis, & voluptatum blanditias respuis, & illecebrosa deliciarum lenocinia perhorrescis.

o Virg. Æn. 1.
p Idem ibid.
q Paus. in Arcad.
r Strab. l. 14.
ἄρτεμις.
s Hom. 26 Odyss.

ACTÆON, *t* Aristæi filius, venator ille famosus, magno id suo malo didicit, cùm te in fonte nudam conspexit impudens, neque enim momento distulisti ab impuro reposcere pœnas; & aquis à te respersus, in Cervumque mutatus, à canibus suis discerptus est.

t Ovid. 4. Metam.

O Salve iterum, *u* *Astrorum decus*, Luna casto fulgore rutilans: Nam Luna es, & una es, quæ

u Virgil. Æn. 9.

x Idem 11. Æn. *Æternum x telorum, & virginitatis amorem, Intemerata colis,*

Nec illud etiam me fugit, præclariſſimam quod patraſti, dignumque imitatione facinus; Cum y eluſura libidinem Alphæi, te miſerè depereuntis, ad tuas fugiens te recepiſti Nymphas unum in locum congregatas, cœnoque deturpaſti tuum illarumque ora, ne dignoſci poſſes á petulante, ne pudoris decus amitteres. Et cecidit è ſententia honeſta fraus, virtutemque illuſtravere tuam illæ ſordes. O iterum iterúmque ſalve,

y Pauſ. in poſter. Eliac.

z Horat. l. 3. Carm. *z Montium cuſtos, Nemorumque Virgo, Quæ laborantes utero puellas Ter vocata audis, adimiſque letho, Diva Triformis.*

MYST. Sic ergo me, Palæophile, ludos facis?

PAL. Egone?

MYST. Tu inquam qui tam diſſimulantis, rudis, ignarique hominis perſonam ſuſtinuiſti hactenus.

PAL. Eum me ſane præſtiti, qui ſum, Myſtagoge, jurato credas velim; ſum prorſus harum rerum, quas me doces, inſcius. Neque verò ex iis, quæ nunc de Diana protuli, ſecùs interpretari debes: Hanc enim Deam, quia caſtam, amavi à puero, eaque idcirco didici in ejus gratiam, quæ ex me audiſti modò. In cœteris planè cœcutio; ac quæſo, mihi facem præferre, ad finem uſque, ne graveris. Ingenuè loquor, & ex animo, ſum imperitus tyro.

MYST. Vix me abducis, ut hoc credam; faciam tamen quod me rogas; & proverbio locum dare pergam, *ſus Minervam.* Atque ut ab eadem voce ordiar, quam protuliſti ultimam; TRIFORMIS dicitur Diana, & Tergemina; primò, quia cum una ſit, *b* triplex tamen vulgò putatur,

b Cic. 3. de nat.

tacur? Luna, Diana, Hecate; *Luna* dicitur in cœlis, *Diana* in terris, *Hecate* in inferis. Quò pertinet distichum, *c* triplex illud nomen ac munus ingeniosè connectens & explicans.

c Ex Dempst. in Paralip.

Terret, lustrat, agit, Proserpina, Luna, Diana,
Ima, suprema, feras, sceptro, fulgore, sagittâ.

(*d* Hesiodus tamen tres illas dicit esse Deas, non unam tantum.) Secundò, *e* quia fabulantur ipsam triplex habere caput, Equi dexterum, Canis sinistrum, hominis medium, unde *f* τρεισσοκέφαλον τριπρόσωπον appellarunt aliqui: speciem alii dedere *g* Tauri, Canis, Leænæ. Unde Virgilius *h*

d In Theogon.
e Orph. in Argon.
f Cornut. & Arte. mid. 2. Oniroc rit.
g Porph.

Tergeminamque Hecaten, tria Virginis ora Dianæ.

h 4. Æn. 12. de rapt.

Et Claudianus: *i*

Ecce procul ternis Hecate variata figuris.

i Ap. Lil. Gyr.

Tertio, ex opinione *k* quorundam, Triformis ideò dicitur, quòd triplex sit Lunæ figura, luminumque varietas, crescentis, in arcum falcata; adolescentis, in semicirculum inflexa; & cum rotunda, plenum orbem efficit. Sed hæc sigillatius expendamus nomina.

k

LUNA, à *lucendo* nominata, *l* vel, quòd *una* sit, quæ noctu *lucet*, vel, quòd *luce alienâ* splendeat; Græcè σελήνη, dicta, à nomine σέλας νέον *lumen novum*, quia novâ semper luce fulget. Bigas habere creditor, Equis duobus nigro & albo; aut etiam bobus, propter illius cornua, currum trahentibus, adjuncto aliquando Mulo, ob sterilitatem, ait Festus; quòd non suo, sed solis splendore radiet. Fuisse autem Lunam *m* utriusque sexus, (quod omnibus Diis convenisse ajunt) maximè apud Ægyptios, sunt qui asserant. Itaque *n* tam Lunus Deus, quam Luna Dea colebatur, hoc tamen discrimine, ut qui Lunam venerarentur fœminam, fœminis subjectum; qui

l Cic. 2. de nat.

m Serv. in 2. Æn.

n Spart. de Imp. Carac.

qui verò Marem, superiorem fore crederent. Notandum illud etiam, *o* quòd Veneri, quæ Luna putabatur, mulieres virili habitu, viri muliebri veste sacrificarent. Sed ut redeamus ad Lunam;

o Philochor. in Attide.

ENDYMION. ENDYMION Pastor, fuisse fingitur Amasius Lunæ, *p* & in ejus amoribus intimis; cujus exosculandi gratiâ, è cœlo descendebat, in Latmum, seu Lathynium Cariæ montem, ubi æterno consopitus somno jacebat in spelunca quadam, in pœnam nefariæ libidinis, cum assumptus à Jove in cœlum, stuprum Junoni offerre non veritus est. Re ipsâ, fuit Endymion insignis Astrologus, qui primus Lunæ cursum mensus est, inde fabulæ locus; dormire creditus, quod nihil aliud, quàm sydera specularetur.

pApollon. 4. Argonaut. Plin. l. 2. c. 9.

HECATE, *q* sic dicta; quod ἑκάτον, id est, è *longinquo* jaciat radios, aut sagittas mittat. Ceteris dicitur ex Jove filia, quæ à matre abjecta, expositáque in triviis, à Pastoribus ibidem enutrita est. Quocirca, pro foribus domorum statuebatur ejus simulacrum, *r* unde *Propylæa* vocata est; de qua Virgilius. *s*

q Hesiod. in Theog.

r Paus. in Attic.

Nocturnisque Hecate triviis, ululata per urbes. l. 4. Æn.

Alii, hoc nominis derivant ab ἑκατὸν, *centum*; quòd centum placetur victimis, vel, quod ejus edicto, centum annos errent insepulti, circùm inferos. Ut ut sit; à Triviis, *Trivia* dicebatur; quod viis, triviisque, præesse crederetur; ex quo fiebat, ut ei sacrificaretur in Triviis; & Athenienses *t* singulis noviluniis, opiparam in triviis ei cœnam instruerent, ab egenis civibus noctu absumendam.

tAristoph. in Pluto.

uLucian. in Pseudoph.

Fuisse Hecaten, ajunt, *u* staturâ enormem in modum procerâ, capite, capillorum loco, viperis horrifico, pedibusque serpentinis, Canibus succinctam, hoc enim animal ei sacrum; & Hecates effigiem, aliquando exhibitam

tam cane, scribit x Hesychius. Ferunt etiam præfuisse veneficiis, & septies vocatam, eorum sacrificiis adesse solitam; y quibus peractis, spectra quædam apparebant, quæ *Hecataea* dicebantur.

x Apud Gyr.
y Apollon. 3. Argon.
z Ovid. 9. Met.

BUBASTIS, ab Ægyptiis cognominata, unde & urbi nomen idem, ubi conventus quotannis agebantur in honorem Dianæ, cujus Sacra *Bubastæa* dicta.

BRIMO, eadem Hecate, ac Diana vocata est, à fremitu, a quod adversus Apollinem, aut Martem infremuisset, vim ipsi afferre parantes, inter venandum.

a Apoll. 3 Argon.

LUCINA & OPIS, quod infantibus in lucem venientibus opem ferat; b quod officium, Apollini fratri primùm præstitisse dicitur, cùm vix dum nata, parenti suæ Latonæ parienti adfuit, & obstetricis munere functa est; cujus doloribus permota c apud se statuisse dicitur, nunquam dare operam liberis, sed Virginitatem perpetuo colere, cùm tot essent subeundi in pariendo cruciatus.

b Aug. de Civ. 4.
c Callimach. hymn. in Dian.

CHITIONE & CHITHONIA, quasi *Tunicata*, d solebant enim fœminæ, partûs perfunctæ doloribus, Junoni quidem sacrificare; Dianæ verò suas, & infantium vestes consecrare.

d Plut. 3. Sympos. c. ult

DICTYNNA, e non tantum à retibus Venatoriis, quæ δίκτυα dicuntur; (cum sit ipsa Venatrix, f & Venatorum præses, omnisque propterea lucus, ipsi consecratus) sed etiam, quia Virgo quædam *Britomartis*, g cùm inter venandum, in retia incidisset, vovit Dianæ sacellum, si evaderet, evasit autem, & Dictynnæ Dianæ ædem posuit. Alio alii modo cudunt fabellam. Nimirum, quod cùm hæc Britomartis, ob venandi studium, Dianæ charissima, Minoem amatorem fugeret, in mare se dejiciens incidit in retia piscatorum, Deaque, à Diana facta

e Ovid. 2. Metam.
f Lact. plac. 4. Theb.
BRITOMARTIS.
g Schol. Aristoph.

facta est. Et quoniam de venatoribus incidit mentio; creditum est, *b* Idibus Augusti, cessasse Dianam à venando, indéque non licuisse venari per eos dies; sed coronari canes solitos, facesque accendi ipiceas, juxtaque suspendi, quidquid erat venatorii apparatus.

b Brodæ in auth. ex schol. Pindari.

His omnibus duas adhuc attexamus fabulas, Chiones alteram, alteram Maleâgri.

CHIONE, Dædalionis filia ab Apollini & Mercurio, cùm prolem peperisset geminam, Philamona, citharæ peritissimum; & Autolycum furandi arte clarum;

i Autolycus. Ovid. 11. Metam.

---- *i Furtum ingeniosus ad omne,*
Qui facere assuerat, patriæ non degener artis,
Candida de nigris, & de candentibus atra.

Gloriata inquam, Chione,

Se peperisse duos, & Diis placuisse duobus.
---- Se præferre Dianæ
Sustinuit, faciemque Deæ culpavit. At illi
Ira ferox mota est, factisque placabimus, inquit:
Nec mora, curvavit cornu; nervusque sagittam
Impulit, & meritam trajecit arundine linguam,

k Ovid. 8. Metam.

MELEAGER, *k* pœnam Oeneæ parenti debitam luit. Cùm enim hic, in sacra primitiarum oblatione consultò Dianam præteriisset, irata Dea, aprum induxit, qui Calydoniæ vastaret agros. Ad illum vel exterminandum, vel occidendum Meleager, lectissimis stipatus adolescentibus advolat. Immiscet se venantibus Atalanta Virgo, & primo vulnere afficit Aprum, quem paulo post Meleâger ipse conficit. At non tam sibi, quàm Atalantæ gratulatus, quod prima feram percussisset.

----- Exuvias, rigidis horrentia setis
Terga dat, & magnis insignia dentibus ora.
Invidere alii, totoque erat agmine murmur.

Et qui.

E quibus ipsius Meleâgri avunculi indignantes eripiunt Virgini munus, & illis vitam vicissim, Meleâger, muneris auctor. Id ubi cognovit Athlæa Meleâgri mater, suosque interfectos à filio vidit fratres, ad ultionem se furore amens accingit. Stipes erat, in Athlææ cubiculo cum Meleagrum enixa est: hunc stipitem Parcæ cum arripuissent, jecissentque in ignem;

Tempora, dixerunt, eadem, lignoque, tibique,
O modo Nate, damus. Quo postquam carmine dicto,
Excessere Deæ; flagrantem mater, ab igne
Eripuit ramum sparsitque liquentibus undis.
Servatusque diu, Juvenis servaverat annos.

Tunc autem, stimulante irâ;

-.--- Dextraque aversa trementi,
Funereum torrem, medios conjecit in ignes.

Incensus repente stipes, inflammat Meleâgri licèt absentis viscera; ardente illo, ardet ipse pariter; dumque sensim solvitur torris extinctus, in favillas; extinctâ vitâ, redigitur in cineres miser.

PALES.

VETULA illa, quam Pastoribus cinctam videS, Pabuli ac Pastorum Dea est; *I Pales*, est ei nomen; à nonnullis *Magna mater* & *Vesta* dicta. Huic pro felici proventu pabuli sacrificabant, lac offerentes, & liba ex milio. In ejus honorem festa quoque instituta, *Palilia*, seu *Parilia*, nominata, undecimo, aut duodecimo Kalendas Maji, quo die Romulus urbem fundavit, in agris, à Pastoribus celebrari solita, ad lupos arcendos, morbosque averruncandos à pecore. Peragebantur autem ritibus variis; Nam, accensos palearum acervos, certo ordine ac

1 Virg. Ecl. 5.

ac spacio dispositos in loco plano, Pastores saltando transiliebant; Et oves, cæteraque pecudes purgabant suffitu multiplici, ex Rosmarino, Lauro, & Sulphuris fumo, allisque id genus, quæ
m 4. fast. Ovidius *m* expressit his versibus:

Alma Pales, faveas pastoria sacra canenti,
Prosequar officio, si tua facta, meo.
Certe ego te vitulo cinerem, stipulamque fabalem
Sæpe tuli, læva, februa tosta, manu.
Certè ego transilui, positas ter in ordine flammas,
Virgaque vocales, laurea, misit aquas.

FLORA.

PALÆOPHIL. Haud opus est, ut moneat, quæ Diva illa sit, quam floribus ornatam, comptam, pictam, vestitam, decoratamque video. Num Flora est, florum Præses ac Dea?

h Lact. l. 1 cap. 24. *MYST.* Dea quidem, *h* apud Romanos habita; re autem ipsa, celeberrima Meretrix, quæ cum amplas opes, impuro lenocinio, collegisset, Populum Romanum scripsit hæredem, certamque reliquit pecuniæ summam, cujus ex annuo fœnore, suus natalis dies celebraretur, editione Ludorum, quos *Florales*, appellavere, seu *Floralia*. Quæ res, cum probrosa, ut erat, Senatui visa esset ac flagitiosa, placuit speciosum prætexere turpitudini titulum; Floramque, uti Deam venerari, quæ floribus præsideret; placandamque sacro cultu, ut plantæ atque arbores, benè prosperéque florescerent.

i In Fast. CHLORIS. Hoc commentum secutus Ovidius *i* est; ignobilem Nympham, (Chloris dicebatur) despondens Zephyro, idq; muneris loco, donans a marito, ut haberet omnium florum potestatem, Redeamus ad Floram, Floralesque ludos.

Ejus

Ejus simulchrum, Plutarcho teste in æde visebatur Castoris & Pollucis, tunica indutum, dextrâ flores fabarum ac ciceris præferens; nam in Floralibus, *k* Ædiles fabam & cicer, aliaque legumina spargebant populo. Tubâ indicebantur & committebantur hi Ludi; quod Juvenalis *l* annotat:

k Val. Max. l. 2. cap. 5.

l Sat. 6.

----- Dignissima certè
Florali, matrona, tubâ.

Tum prosiliebant in arenam meretrices, nudisque solebant decertare corporibus. I, jam, & has sordes appella flores, & hos Ludos, voca Floralia.

FERONIA.

FERONIA, meritò Floræ assidet, tantóque potiori jure, primum obtinere locum debuerat, quantò fructus, pluris faciendi quàm flores; & Arbores, quàm exiles ignobilesque plantæ. Est enim Feronia, *m*, Dea Nemorum, à *ferendis* arboribus, ita dicta. Lucum habuisse fertur sub monte Soracte, qui cùm fortuito arsisset incendio, atque idcircò vellent accolæ, Feroniæ simulacrum inde transferre, ferunt, de subito nemus revirusse. Et Strabo *n* auctor est, eos, qui Feroniæ numine afflarentur, ardentes prunas, nudis pedibus, illæsisque plantis calcare solitos. Nihil autem aliud esse Feroniam plerique crediderunt, quàm vim illam arboribus insitam, ad flores fructusque producendos.

m Virg. 7. Æn.

n l. 5.

POMONA.

POMORUM Dea, hoc est, fructuum, frugumque omnium, quas plantæ arboresque profundunt, Præses ac Custos Pomona est; Floram ac Feroniam ordine subsequens;

ut cernis; sed bonorum, quæ parit, magnitudine antecedens. Flaminem, seu Sacerdotem proprium habuit, qui Flamen Pomonalis dicebatur.

PAL. Quæ Anus illa est edentula, Pomonæ adblandiens?

MYST. Non Anus est, sed Deus, cujus imago si te fallit, non mirum est, cum ipse olim hoc modo personatus fefellit Deam. Res sic se habuit. Hortos, pomariaque sua colebat more suo Pomona Virgo, præcipuo studio, industriâque diligenti: Tota erat, in rigandis sepiendisque stirpibus, in depascenda ferro luxurie sylvescentium fruticum: Cum VERTUMNUS, *o* de proceribus unus Deorum Latinorum, (cujus prærogativa fuit singularis, in quas vellet figuras se vertere, ex quo *Vertumni* nomen habuit) Pomonam jam diu ardens, anili assimilata specie, *p*

VERTUMNUS.

o Ovid. 4. Metam.

p Idem ib.

Innitens baculo, positis per tempora canis,

intrat in hortos, poma miratur, laudat & osculatur Virginem: Tum ex iis quæ se objiciebant oculis, occasionem arripiens, eò demum flectit sermonem, ut nuptias suadeat; non defuturos, vel è Diis, qui tali se sponsa beatos prædicent. Cerne, inquit, adserpentes huic frondoso parieti, fœcundas arbusculas, prunis eximiis, malisque generosis, ad certamen usque & ostentationem prænitentes; Atqui, nisi paxillis, quibus fulciuntur, tanquam maritis jungerentur;

At si staret, ait, cælebs sine palmite, truncus,
Nil præter frondes, quare peteretur, haberet.
Hæc quoque, quæ juncta vitis requiescit in ulmo,
Si non juncta foret, terræ acclinata jaceret;
Tu tamen exemplo non tangeris arboris hujus.

Nec sanè tangebatur, quoad Vertumnus:

---- in juvenem rediit, & anilia demit

Instru-

Instrumenta sibi ; talisque apparuit illi,
Qualis ubi oppositas, nitidissima solis imago
Evicit nubes, nullaque obstante reluxit.
Vimque parat : sed vi non est opus : inque figura
Capta Dei Nympha est ; & mutua vulnera sensit.

NYMPHÆ.

JAM Puellas, non procul à Pomonæ viridariis, comptulas aspice, formosulas, venustulas & elegantulas, penè innumerabiles : Quarum aliæ, per nemora illa discurrunt abduntque se in truncos annosarum quercuum, immergunt se aliæ in fontibus, aliæ fluminibus innatant. Nymphæ *q* communi nomine omnes appellantur, ἀπὸ τῦ ἀεὶ νέας φαίνεσθαι, quod semper Juvenes appareant ; vel à verbo φαίνειν, quòd formæ decore præfulgeant. Proprias tamen vel à locis, in quibus degunt, vel à muneribus, quæ obeunt, appellationes nanciscuntur, in ternas potissimùm distributæ classes, in Cœlestes, Terrestes, & Marinas. q Phur.

COELESTES Nymphæ ; credebantur esse Animæ ac Mentes, *r* quæ cœlestibus sphæris præsiderent, essentque sydereorum influxuum, in hæc terrena corpora dispensatrices. r Ex Plut. Macrop. Procl

TERRESTRES, aliæ sylvis præerant, & dicebantur, *Dryades*, *s* quòd in Quercubus, illarum sit vita ; δρῦς enim, & quercûs proprium, & cæterarum arborum, commune nomen est. Aliæ *Hamadryades*, ἅμα simul ; quòd simul cum Quercubus genitæ, cum iisdem pariter interire putarentur. Quin etiam fuit hic veterum error, *t* ut crederent è cœlo missum ac divinum, quidquid innasceretur quercubus : Druvdæ quidem Gallorum Sacerdotes nullum præsentius s Virg. 4. Georg. t Gyr. Synt. 18

tius numen agnoscebant, quam viscum quercui adnascentem. *Oreades*, aliæ, seu *Oreστiades* ἀπὸ τῦ ὄρεος, quod præsiderent montibus. *Napææ*, quæ saltuum convalliumque curam gererent; à nomine νάπη saltus, vallis. *Lemoniades*, (λειμὼν, pratum) quæ pratis præficerentur & campis. *Meliæ*, è quibus illos nasci fabulantur, qui vel sub arbore, casu nascerentur, vel exponerentur, μελία, arbor est fraxinus.)

u Orph. in hymn. MARINÆ, quæ aquis, alio nomine *u Nereides*, & *Nerinæ*, à Nereo Deo marino & Doride, natæ *Oceanitides*, & *Oceaniæ*, Thetyos, & Oceani filiæ, *Naïades*, & *Naides*, *à* νάω *fluo*, quæ fontibus: *Fluviales*, seu *Potamides*, ποταμὸς *fluvius*, quæ fluminibus: *Limnades*, λίμνη, *lacus*, quæ lacubus, & stagnis præpositæ putabantur.

Nymphæ Diis fermè omnibus attributæ in ministerium. Suas habuit Jupiter; ait enim apud x 1. Met. Ovidium. x

Sunt mihi Semidei, sunt rustica Numina Fauni.
Et Nymphæ, Satyrique, & Monticolæ Sylvani.

y Hesiod. & Pind. in Isthm. Habuit y suas Neptunus, quem propterea Νυμφαγέτην vocant, *Nympharum Ducem*; eique vulgò quinquaginta dantur. Et Phœbus suas habuit Aganippidas & Musas. Habuit Bacchus, innumeras Bacchas, Bassarides, Eloides, Thyades. Diana, venatrices; Tethis, Nereïdas; & Junoni fuere

--- bis septem præstanti corpore Nymphæ.

E Nymphis omnibus, duarum accipe fabellam. Prima est

ARETHUSA, una de Dianæ comitibus, non pudica minus quàm pulchrà, cùm aliquando, amœnitate loci invitante, in limpidissimo amne levaret æstum; Alpheus, (erat id fluvio nomen) emergens è gurgite, voce primùm, deinde gres-

gressu Nympham petit: fugit illa, sequitur iste, jamque assequitur; At Dianæ imploratâ ope, Arethusa, metu colliquescens, in fontem defluxit.

---- z *Sed enim cognoscit amatas* z Ovid. 4.
Amnis aquas; positoque viri, quod sumpserat, ore, Metam.
Vertitur in proprias, ut se illi misceat, undas.

Fugit etiam nunc Arethusa, *a* humoque dehiscente procul hinc elabitur in Siciliam: Alpheus quoque, illuc per subterraneos meatus erumpit, suasque aquas, Arethusæ maritat aquis. a Virg. 3. Æn.

ECHO Nympha priùs, quàm nihil esset nisi vox, hanc garrulitatis suæ pœnam tulerat. *b* b Ovid. 3. Metam.

Reddere de multis ut verba novissima posset.
Fecerat hoc Juno, quia cùm deprendere posset
Sab Jove sæpe suo Nymphas in monte jacentes,
Illa Deam, longo prudens sermone tenebat,
Dum fugerent Nymphæ.

Hæc igitur, in Narcissum per sylvas vagantem fortè incidens, juvenis mirata formam, amore capitur, ardet, instat, insequitur fugientem, superbum amplectitur; sed divellit ille manùs amplexibus, proripitque se ab ejus conspectu. Echo spreta se in sylvas abdit, & præ mœrore contabescit.

---- *Vox tantum atque ossa supersunt,*
Vox manet; ossa ferunt, lapidis traxisse figuram.
Inde latet sylvis, nullòque in monte videtur.
Omnibus auditur: sonus est, qui vivit in illa.

NARCISSUS autem, *a* qui nec amari, nec amare volebat alios, se ipse sic deperire cœpit, ut amore sui perierit. a Ovid. Ibid.

Fons erat illimis, nitidis argenteus undis.

Ad illum simul ac procubuit, sitim sedaturus; visâ suæ formæ imagine, hæret, miratur, amat, amore uritur.

Spectat inexpleto mendacem lumine formam,
Perque oculos perit ipse suos.

Exiguâ prohibetur aqua, quò minùs teneat, quod petit.

----- Minimum est, quod amantibus obstat.

Advertit denique infelix, se confici amore sui;

----- Flammas, inquit, moveoque, feróque:
Quod cupio, mecum est; inopem me copia fecit.
O utinam, à nostro secedere corpore possem.
Votum in amante novum est; Vellem, quod amamus abesset.

Quid multis?

---- Attenuatus amore
Liquitur, & cæco paulatim carpitur igne.

In florem demùm sui nominis, Deorum commiseratione convertitur.

MINUTIORA RURIS NUMINA.

MINUTIORA hæc sunt Numina, quâm ut cadere sub oculos possint; Quocira, singulorum nomina obiter recenseo. Auspicemur à Dea.

RUSINA, cujus curæ, Rura commissa sunt omnia.

COLINA DEA, dominatur in Collibus.

VALLONIA, in Vallibus tenet imperium.

b Apul. in Asin. aur. Tertull. Apolog.

HIPPONA, *b* Equis, stabulisque præsidet. Fuit hoc etiam Puellæ formosissimæ nomen, quam Fulvius quidam, ex Equa sustulit.

BUBONA, cui cura Boum.

SEIA, *à serendo*, quamdiu semen terrâ obrutum latet.

c Plin. lib. 18.

SEGETIA, verò *c* eadem dicitur *à segetibus*, ut primùm herbescens è summa humo, viriditas emicat.

RUN-

RUNCINA, cum runcantur agri.

OCCATOR, *d* cum occantur. SATOR & SARRITOR, cùm seruntur, & sarriuntur. d Serv. 1. Georg.

ROBIGUS Deus, cujus festa *Robigalia*, ad avertendam ab satis rubiginem, septimo Kal. 29. Maji, celebrari solita. Idem ib. e,

STERCUTIUS, qui & *Stercutus*, & *Sterquilinus*, *Sterculius*, & *Picumnus*; qui primus, agros stercorandi usum induxit.

PROSERPINA, frumentis germinantibus, superque terram proserpentibus, præposita; (de hac susiùs, cùm de Diis Inferis.)

NODOSUS Deus, Nodis, geniculisque culmorum;

VOLUSIA, involucris folliculorum, & quasi vaginis aristarum præficitur.

PATELINA, cùm spica emergit è folliculis.

FLORA, cùm eadem spica floresci.

LACTURA, seu, *Lactucina* cum jam lactescere incipit.

MATUTA, cùm maturitatem assequitur.

HOSTILINA, *e* cum segetes novis aristis acquantur. (*Hostire* enim veteres, *æquare* dixerunt.) e Aug. de Civ. jam laudatus.

TUTELINA, seu *Tutulina*, ad tutandas segetes collectas.

PILUMNUS, *à pilo*, quod pinsendi frumentum, artem invexerit. f Serv. 9. Æn.

MELLONA, quæ mellificii rationem excogitavit.

FORNAX, Dea credita, quoniam ante tritici usum, farra fornacibus torrebantur. Eam, Fornacalem vocat Ovid. *g* de Fornace Dea sic scribens; g 6. fast.

Facta Dea est Fornax, læti fornace coloni
Orant, ut vires temperet illa suas.

Sed his relictis minutorum Deorum quisquiliis, deflectamus oculos, ad sinistrum hujus Panthei parietem, contemplaturi Marina Numina.

PARS III.

DE DIIS MARINIS.

PALÆOPHILUS. O amœnum, gratumque spectaculum! Illa ergo sunt Aquarum Numina? Hi Marini Dii, qui per liquidissimam æquoris planitiem, numerosâ concharum, quibus insident, agitatione vehuntur?

MYST. Ipsi sunt Squammei Præsides, Ducesque pinniferi, fluidique Moderatores Undarum.

NEPTUNUS.

Nomen ejus, ac Genus.

PAL. Ecquis autem Rex ille, cæsarie, nigrâ, cœruleisque oculis *k*, trifido sceptro insignis, cyaneo amictu *l* fulgens, & curru conspicuus, frequentique stipatus satellitio pisciumne dicam, an hominum? nam hominem superiori; piscem, inferiori corporis parte referunt.

MYST. Neptunus est, sic dictus, non à *Nando*; ut ait Tullius, *m* (quem locum fuisse corruptum putat Lipsius *n*) sed à *Nubendo*, paucis literis immutatis, ut Varro censet; *o* quod mare terras obnubat, seu ambiat; Vel, ut scribunt alii, *p* ab Ægyptia voce νέφθυν; quæ oras maritimas, ac promontoria significat, aliave loca, quæ alluuntur aquis.

i Lucian. in sacrif.
k Cic. 1. de rat.
l Phurnut. 2. de nat.
m 1. Sat. c. 2.
n ap. Lil. synt. 4.
o Boch. l. 1. Phaleg
p Plut. de Isid. & Osir.

Neptu-



Zu 184.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0243
DFG

Neptunus, inquam, est marri Rector, fluviorum Pater & fontium, Saturni ex Ope filius; quem mater, ut voracitati patris subduceret, (Saturnus enim, ut alibi dictum est, filios mares vorare tenebatur) Equinum pullum, marito vorandum objecit, Neptuni loco. Ποσειδὼν, à Græcis *q* dicitur; quia ποσὶ δεσμὸν, hoc est, pedibus vinculum injicit, ne pedibus aquas ambulemus. q Plat. in Cratylo.

Adultus, Paterno imperio sorte divisо, maritima regna obtinuit: Mœnia Trojæ, jussu Jovis, Laomedonti serviens ædificavit cum Apolline; quod factâ cum aliis Diis conspiratione, Jovem ligare voluisset. Deinde duxit.

AMPHITRITEN, (ὡνομὰ τὸ Αμφιτρίβειν, quòd terram mare *circumterat*) postquam ejus fastidia tulisset diu; sed Delphini tandem operâ, blanditiisque delinitam, allexit ad nuptias. In cujus beneficii gratiam, Delphinus inter astra relatus est. Porrò præter Amphitriten, conjuges alias, SALACIAM, & VENILIAM habuisse ajunt; r illam à *salo*, seu mari sic dictam; quâ, & inferiorem maris aquam significari scribit Augustinus: s Hanc autem, a *veniendo*, quòd eant fluctus, æstu maritimo, redeantque; accedant, & recedant aquæ, motu reciproco. r Aug. 4. de Civ. s Ibid.

Neptuni Gesta.

Equum *t* in Attica produxisse dicitur,

u----. *magno percussa tellure trident.*

Ex quo, *Hippius* x dictus, & Ἱπποδρόμιος, id est, Equestrium certaminum Præses nuncupatus; & ad ejus aram in circo Ludi edebantur illi, quibus exprimebatur Sabinarum Virginum raptus. Aram *y* habebat autem subterraneam, cui, sub Dei Consi nomine, sacrificabatur. CONSUS dictus, à *consilio* dando; quod quia plerumque *z* tectum esse oportet. Idcircò in tecto & ob-

t Soph. in Oedip. u Virg. 1. Georg. x Pind. Od. 1. Isthm. Var. apud Lil. y Dion. Halic. l. 2 z Serv. 8. Æn.

obscuro, cultus Consus. Huic Conso, seu Neptuno Equestri, Ludi solemnes illi, qui Martio mense fiebant, CONSUALIA *a* dicebantur; quo tempore *b* cessabant equi ab opere, & muli floreis sertis ornabantur.

a Plut. in Romul.
b Dion. Hal. 1.

Inde etiam factum, ut Equis marinis, seu *Hippocampis*, trahatur, uti cernis, Neptunus currus; (Delphinis etiam, quandoque vehitur) Habebant autem Hippocampi priores tantùm pedes caudas verò piscium; ut docet Statius. *c*

c 2. Theb.

Illic Ægeo, Neptunus gurgite fessos
In portum deducit Equos; prior hausit habenas
Ungula, postremi solvuntur in æquora pisces.

Unde à Virgilio, d *bipedes*, vocantur.

d 4. Geor.

----- magnum qui piscibus æquor,
Et jugato bipedum curru metitur Equorum.

De quibus prior ille, *e* sic.

e Stat. 1. Achill.

----- triplici telo jubet ire jugales.
Ille spumiferos glomerant à pectore fluctus,
Pone natant, delentque pedum vestigia, caudâ.

Neptuni ergò munus est, *f* Equos & naves regere; *g* Dumque per undas equitat, serenitatem semper inducit,

f Homer. in hymn.
g Sil. l. 1.

h Virg. 1. Æn.

----- h tumida æquora placat,
Collectasque fugat nubes, solemque reducit.

Ibid.

----- i Æquora postquam
Prospiciens Genitor, cœloque invectus aperto,
Flectit equos, curruque volans dat lora secundo.
Subsidunt undæ, tumidumque sub axe tonanti
Sternitur æquor aquis, fugiunt vasto æthere nimbi.

Idem Æn

Neptuni filii.

Clariores hi fuere, Phorcus, & Proteus.

PHORCUS, seu PHORCYS Thesea Nymphâ

b natus

b natus est. Cum ab Atlante victus navali prælio, fluctibus fuisset hausus; eum socii superstites; Deum marinum factum esse putavere, & divinis honoribus prosequuti sunt. Phorcys alter extitit, alius ab illo; cujus filiæ tres unicum habebant oculum, singulis communem. *c* Itaque cum earum una, intueri quidpiam cuperet, oculum fronti inserebat, quasi annulum digito, aut annulo gemmam; deinde extractum præbebat sorori utendum, & hæc vicissim alteri, prout cuique opus erat.

b Var. ap. Nat. Co.

c Palæph. in fab.

PROTEUS, *d* Phocarum, seu Vitulorum marinorum Pastor, Phœnicam Nympham matrem habuit; *e* in quas vellet figuras solitus se vertere, ac nunc, in aquam fluere, nunc in ignem accendi, modò piscem, aliàs volucrem, nunc Leonem, cæteráque pro arbitrio fieri. Verùm non unius Protei fuit vis illa mirabilis, quaslibet induendi formas;

d Tzetz. chil. 2. hist. 44.

e Ovid. 8. Metam.

VERTUMNUS, Deorum Latinorum unus, simili fuit facultate præditus, hinc enim suum, à *Vertendo* scilicet, *Vertumni* nomen habuit; de quo diximus, cùm de Pomona Dea loqueremur. Ab hoc Deo manasse ajunt, *f* loquendi modum, quo dicimus, *Bene*, vel, *male vertat*. *Vertumnus* enim *Deus* dicitur, inquit Scholiastes ille, qui rebus ad opinata revertentibus præest. Sæpe autem male cedit, quod bonum putatur; & hoc est, malè vertisse, ut gladius, quem ab Æneâ Dido dono acceperat, quo deinde sibi illa necem conscivit: de quo Virgilius. *g*

f Donat. in Teren. Adelph.

g 4. Æn.

----- *Ensemque recludit*
Dardanium, non hos quæsitum munus in usus.

PERICLIMENUS, Nestoris frater, *h* pari dono, à Neptuno affectus est; quem demùm Hercules, muscam factum interfecit, prodente Pallade: cùm adversùs Neleum pugnans ipsius muscæ aculeo graviùs pungeretur.

h Homer. 11. Odyss.

MESTRA,

i Ovid. 8. Metam.

MESTRA, seu Mestre, aut Metra, Erisichthonis filia, *i* hoc etiam muneris impetravit à Neptuno, in præmium ereptæ pudicitiæ, ut cujuscunque rei figuram indueret; quò nimirum, Patri, inexplebili fame laboranti, afferret opem. Ergo

Nunc equa, nunc ales, modo bos, modo cervus abibat,
Præbebatque avido, non justa alimenta parenti.

k Ovid. 12 Met.

CÆNIS, *k* Thessalica puella, simili de causa, simile, imò majus ab Neptuno eodem beneficium abstulit. Cùm enim compressa per vim ab illo fuisset, obtinuit muneris loco, ut transformaretur in virum nulloque sauciari telo posset. Itaque, mutato sexu, mutavit nomen, & Cæneus factus & dictus est, qui denique pugnans contra Centauros, congesta ingenti mole arborum, vivus obrutus, & in sui nominis avem commutatus est.

TRITON.

Cæterique Dii Marini.

l Hesiod. in Theog. m Stat. 6. Theb. n Virg. 6. Æn. 1. o Apol. 4. Argon.

TRITON Neptuni ex Amphitrite *l* filius, ipsiusque *m* comes, & *n* Tubicen, humanam gerit ore speciem umbilico tenus, cætera piscem refert; priores *o* duos pedes equinos habet; caudam bifidam lunatamque; capillos apio palustri haud absimiles, quem ita descripsere, duo Parnassi Reges.

p Virg. 10. Æn.

p Hunc vehit immanis Triton, & cærula concha
Exterrens freta; cui laterum tenùs hispida nanti
Frons hominem præfert, in pristim desinit alvus.
Spumea semifero sub pectore murmurat unda.

Alter

Alter autem *q* hoc modo:

Cærulum Tritona vocat, conchaque sonanti
Inspirare jubet, fluctusque & flumina signo
Jam revocare dato. Cava buccina sumitur illi
Tortilis in latum, qua turbine crescit ab imo
Buccina; quæ medio concepit ubi æra ponto,
Littora voce replet sub utroque jacentia Phœbo.

q Ovid. 1. Met.

OCEANUS, *r* Cœlo ac Vestâ genitus, non fluviorum modò omnium, sed etiam animantium Deorum pater vocatus *s* ab antiquis; à quo res omnes initium sumpsisse ajunt. Terna filiorum millia, *t* ab uxore Thety sustulisse dicitur. Eorum illustrissimus extitit

r Hesiod. in Theog.
s Orph. in hym.
t Hesiod. ibid.
u Horat. 1. Carm.

NEREUS; insignis Vates, *u* ab undis educatus, & nutritus, *x* in Ægæo mari præcipuè habitans, *y* quinquaginta suscepit ex uxore DORIDE filias, quæ de parentis nomine, *Nereides* Nymphæ dictæ sunt.

x Eurip. in Iphig.
y Apol. 4. DORIS.

PALÆMON & INO *z* ejus mater, hac occasione Dii Marini facti sunt. Cùm enim hæc à viro suo Athamante furiis agitato, unum jam vidisset è suis filiis, Learchum nomine, discerptum & allisum parieti; similemque sibi, ac filio superstiti Melicertæ cerneret imminere pestem, complexa puerulum, se præcipitem immisit in mare, hauseruntque uterque Divinitatem ab undis, quibus hausti sunt, factâ solius nominis jacturâ; absorpto siquidem priore, quod habebant, novum invenêre in iisdem, in quibus periêre fluctibus: illa Leucothea, hic autem Palæmon à Græcis, Portumnus à Latinis, dictus.

z Ovid. 4. Met.

GLAUCUS piscator, *a* lepidiori modo, divinos honores piscatus est. Nam pisces retibus captos cùm explicuisset in ripa, *b* vidisset que ad cujusdam contactum plantæ, prædam suam, collectis viribus, resiluisse in aquas; miratus, herbæ

a Idem 13. Met.
b Strab. l. 9.

bæ vim experiri voluit, eâque degustatâ, pisces subsecutus est suos, in aquas pariter desiliens, marinusque Deus evasit.

CANOPUS Ægyptiorum Deus, his aquarum Numinibus addendus est: qui Aquæ beneficio, de Chaldæorum Deo victoriam reportavit memorabilem. c Contentione, duos inter populos illos exortâ, utrorum Deus major esset ac potentior; ex condicto conveniunt utriusque gentis Sacerdotes cùm Diis suis. Coràm, Canopi simulacrum, Ignisque Chaldæorum Numen, ex adverso, dimicaturi statuuntur, & cominùs quasi pedem conferunt. At Canopus, cujus venter, hydria erat aquæ plena, minutis foraminibus cerâ obductis, quæ fugerent oculos; ad ignis conspectum, irâ velut accensus & exardescens, liquefactâ calore cerâ, liquidis missilibus ignem impetit, subigit, extinguit, discedítque victorê certamine.

c Ruff. l. 11. c. 26.

MONSTRA MARINA.

SIRENES.

TRES fuere Sirenes, incertis ortæ parentibus (junt quidam, d Acheloo flumine patre Melpomene verò Musâ, matre satas) e specie oris fœmineâ; reliquo corpore volucres; juxtâ Pelôrum Siciliæ promontorium, vel in Sirenusis insulis, in extrema Italiæ f parte sitis, habitantes; suavitate cantûs allectos sopitósque homines littora illa præternavigantes demergebant in mare, extractosque postea devorabant. Earum nomina fuere: PARTHENOPE, (quæ Neapoli, in qua obiit, nomen dedisse creditur, g nam olim *Parthenope* urbs illa dicebatur) LIGEA, & LEUCOSIA.

d Nicand. 3. Met.
e Ovid. 3. Metam.
f Ovid. 3. l. 5.
g Strab. l. 5.

Quo autem illarum concentus, blandiùs illa-

bere-

beretur per aures in animum, ad vocis lenocinia, modulos, citharæque sonos addebant. *b* Quin etiam ad cujusque indolem, idoneum accommodabant cantilenæ genus, aliis ambitiosos, voluptuarios aliis, aliisque avaros modulationibus illicientes, ac pertrahentes ad naufragium. Sic enim de illis Ovidius. *i*

Monstra Maris Sirenes erant, quæ voce canorâ
Quaslibet admissas detinuere rates.

b Homer. Odyss.

i 3. de Art. am.

PAL. Quid igitur? nemone navigantium, pestem effugere valuit?

MYST. Duos duntaxat effugisse memorant. Alter Ulysses fuit, *k* qui præmonitus à Circe, de imminente sibi, à Sirenum cantu, periculo, sociorum aures cerâ obturavit, seipsum verò, adligari jussit malo navis; atque ita tutus, incolumisque prætervectus est exitiosa littora: Orpheus alter, *l* contraria elusit arte, monstrorum illecebrosam rabiem: Citharam quippe ipse suam pulsans, Deorumque laudes cantu celebrans, Sirenum obscuravit, vicitque cantum. Quoniam verò, Sirenum fatum erat, tamdiu victuras, quamdiu mortalium nemo, earum cantu audito, præteriisset; victas se conspicatæ, præ desperatione se præcipitarunt in pelagus atque in saxa versæ sunt. Scribunt nonnulli, fuisse illas olim Virgines, Proserpinæ comites; quam à Plutone raptam, ac diu quæsitam cum non inveniissent, in mare, doloris impatientiâ, se demiserant, in marina deinde monstra commutatæ. Addunt alii, *m* ad certamen musicum, Junonis impulsu, ausas fuisse, provocare Musas; sed superatis Musæ, in pœnam temeritatis, pennas inciderunt, è quibus postea texuere sibi corollus.

k Hom. 11 Odyss.

l Apol. 4. Argon.

m Pausan. in Bœot.

PAL. Quid hoc commento adumbrare Poëtæ voluerunt?

MYST. AG. Voluptatum illecebris, ut habet Ci-

n Parad. 1. de Senect. &c. Cicero, *n* mentem è suâ sede ac statu dimoveri, corrumpi animum, nullamque capitaliorem pestem à natura datam hominibus: Qui eas sequitur, miserandum rationis naufragium facere: Qui declinare cupit, non præbendas, sed occludendas aures esse, illarum incantamentis; aperiendas verò & advertendas Orphei cantui, hoc est, sapientum monitis ac præceptis. Sed jam ad alia illa duo monstra, intende oculos, quæ dicuntur

SCYLLA ET CHARYBDIS.

o Homer. Odyss. SCYLLAM varii variè delineant. Ajunt *o* enim aliqui, pectore tenus pulcherrimam fuisse fœminam; at sex habuisse canum capita: Alii contra, superna corporis parte, mulieris; infernâ, serpentis ac lupi speciem prætulisse.

p Apoll. 4. Argon. Qualis qualis autem fuerit *p* constat inter omnes, Phorci fuisse filiam; quæ cum mutuo Glauci amore teneretur, indignata Circe, quæ Glaucum ipium effictim diligebat, *q* Scyllam sibi præferri, fontem, in quo lavare illa consueverat, noxiis herbis infecit: Cujus rei ignara Scylla, ingressa de more fontem, ubi advertit inferiorem sui corporis partem, in caninos rictus esse mutatam, amissæ dolore formæ exhorrescens, se præcipitem egit in vicinum mare, ubi in scopulum naufragiis infamem versa est: Qui scopulus etiamnunc visitur in ipso freto Siculo, ab Italia Siciliam dirimente, inter Messanam Siciliæ urbem, & Rhegium Calabriæ oppidum. Dicitur autem Scylla succincta canibus & lupis, naufragos devorantibus, quòd illisi, æstu reciprocante fluctus ad hoc immane saxum, quendam quasi canum latratum, luporumque ululatum referant.

q Myro Prian. l. 5. rer. Messen.

PAL. Scyllam dixisti, Phorco fuisse genitam; num Nisi Megarensium Regis filia fuit?

MYST

MYST. Nisi hujus filia, SCYLLA quidem dicta est, sed alia ab illa, quam hoc loco depictam vides. Illa r enim, Minois, Nisum in sua civitate obsidentis, amore capta, ut illum sibi devinciret insigni beneficio, patriam ac patrem hosti prodidit, purpureum capillum Patri clam abscisum, Minoi donans; quo fatali capillo, Nisi salus regnique incolumitas continebatur. At Minos potitus urbe, & Scyllæ proditionem execratus, aversatus est impiam; quæ doloris impatiens, in Cirim, seu Alaudam mutata dicitur; Nisus autem, in avem sui nominis, Aquilam; f quæ veluti tantæ adhuc impietatis pœnas, à filia repetens, eam adhuc ubique infesto rostro insectatur.

SCYLLA. NISI FILIA.

r Paus. in Attic.

f Virg. 5. Georg.

CHARYBDIS, Gurges immanis est in eodem Siculo freto, è regione Scyllæ, insanis undarum voluminibus æstuans; suis vorticibus, obviá quæque absorbens, iterúmque revomens; quæ sic à Virgilio t describuntur.

t 3. Æn.

Dextrum Scylla latus; lævum implacata Charybdis
Obsidet, atque imo barathriter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras
Erigit alternos; & sydera verberat unda.
At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris
Ora exertantem, & naves in saxa trahentem.
Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo.
Pube tenus; postrema immani corpore pistrix;
Delphinum caudas utero commissa luporum.

Ferunt autem Charybdim, mulierem fuisse rapacissimam; quæ cum subripuisset boves Herculis, à Jove fulmine percussa, in illam voraginem conversa est.

PAL. Quid hæc, Scyllæ, Charybdisque figmenta significant?

MYST. Vitia duo immania, hujus vitæ fretum exitiabile infestumque reddentia præternavigantibus; hinc Luxuria, illinc Gula. Illa Scyllæ instar, nautas incautos, fallaci formæ lenocinio pertrahit, complexosque plusquam caninâ rabie, furoreque lupino, angit, torquet, discruciat, perdit: Hæc, ceu Charybdis altera, & nunquam exsatiata vorago & gurges, dilapidat rem domesticam, patrimonia deglutit; exhaurit latifundia, thesauros devorat, absorbet omnia. Confinia sunt; & ex adverso sita hæc vitia duo, quemadmodum Charybdis & Scylla; imò, non ex adverso, sed quasi facto fœdere, nunquam non conjuncta grassantur. Nec enim facile reperias hominem, gulæ insignitum infamiâ, qui non idem sit oblitus fœdissimarum cœno voluptatum, addictusque turpissimis, ac flagitiosissimis libidinibus.

Sed tempus est, ut ad loca, in quibus flagitiosi torquentur æterno cruciatu, descendamus animo, aut potiùs oculis; infernosque Deos primum, in hujus Panthei parte inferna, coloribus expressos, perlustremus obiter: neque enim diu morandum in loco tam tristi, tamque luctuoso.

PARS

PARS IV.

DE DIIS INFERIS.

PALÆOPH. Proh sancte Deus! Quam terra horrendaque obversantur oculis!

MYST. Nempe, versamur in inferis. Adi sodes mecum; eum me præstabo erga te, qualem se u Æneæ Sybilla præbuit. Nec ramo tibi opus erit aureo, quem Proserpinæ osferas muneris loco. En, hic pictas aspicis Averni fauces, quas Poëta x ita descripsit.

u Virg. 6. Æn.

x Idem ibid.

Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumque tenebris:
Quam super haud ullæ poterant impune volantes,
Tendere iter pennis; talis sese halitus atris
Faucibus effundens supera ad convexa ferebat:
Inde locum Graji dixerunt nomine, Avernum

Avernus enim dicitur, quasi ἄορνος, id est, *sine avibus*, quod nullæ volucres locum illum ob lethiferum halitum, prætervolare salvæ possent.

INFERORUM LUSTRATIO.

PALÆOPHILUS. Quæ monstra illa sunt, quæ cerno.

y Virg. 6. Æn. *y Vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus Orci?*

z, Ibid. *MYST.* Tibi Poëta idem z respondebit. Illic, inquit

Luctus; & ultrices posuere cubilia Curæ,
Pallentesque habitant Morbi, tristisque Senectus,
Et Metus, & malesuada Fames, & turpis Egestas.
(Terribiles visu formæ) Lethumque, Laborque.
Tum consanguineus Lethi Sopor, & mala mentis
Gaudia, mortiferumque adverso in limine Bellum,
Ferreique Emenidum thalami, & Discordia demens,
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.

CHARON.

PAL. Ille verò senex cadaverosus, squalidus & benè barbatus, quis est, aut qui vocatur?

MYST. Est Inferorum Portitor, *Charon*, a per antiphrasim nominâtus, quasi *Acharon*, *sine gratia*, a Græcis dictus *Porthmeus*, id est, *portitor*. Imaginem ejus hic vides, adumbratam penicillo; en elegantius expressam Virgilii b calamo.

a Serv. in Æn.

b 6. Æn.

Porti-



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0257
DFG

Portitor has horrendus aquas, & flumina servat
Terribilis squallore Charon, cui plurima mento
Canities inculta jacet, stant lumina flamma.
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.
Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat,
Et ferrugineâ subvectat corpora cymbâ,
Jam senior, sed cruda Deo, viridisque senectus.

PAL. Quid hîc autem cum suacymba præstolatur?

MYST. Mortuorum animas, quas ad littora turmatim confluentes aspicis, naviculâ illâ, in ulteriorem ripam transvehendas; non promiscuè tamen, sed eas solummodò, quorum corpora sepulturæ mandata sunt. Insepulti quippe,

Centum errant annos, volitant hæc littora circum:
Tum demum admissi, stagna exoptata revisunt.

Persoluto prius c Charonti, uno minimum obolo, portorii nomine. c Lucian. de Luct.

Averni flumina.

PAL. Tria illa sunt, quatuórve, nî me fallunt oculi, flumina, transmittenda mortuis: nonne?

MYST. Illa sunt; quorum primus,

ACHERON *d* accedentes animas excipit, Cerere aut Terrâ natus in spelunca, nullo patre genitus, qui cum lucem intueri non sustineret, defluxit ad inferos, in fluvium *e* mutatus amarissimum. d Plat. in Phædone. e Pausan. in Att.

STYX, fluvius aut palus, *f* Oceani quondam filia, Victoriam ex Acheronte peperit; quæ quoniam à Jove steterat, adversum Titanas pugnante, obtinuit matri Stygi, ut ejus numen violari à Diis nullo jure jurando posset. Si quis Deorum secus faceret, annum unum, & dies no- f Hesiod. in Th.

vem, arcebatur à nectare ac Deorum mensa. g Ab Stygia illa palude,

g Serv. in 6. Æn.

Dii cujus jurare timent, & fallere numen,

COCYTUS profluit, strepitu lamentabili, & veluti gemente fluxu damnatorum imitante simul & irritante gemitum. Sequitur,

PHLEGETON, seu Pyriphlegeton, sic dictus à φλέγω, ardeo; quòd undis intumeat igneis, flammeosque fluctus evolvat.

Transductæ porrò fluvios illos Animæ rapiebantur ad Plutonis Regiam, cujus in atrio excubabat

Cerberus.

Typhone & Echidna *h* natus, Canis triceps, Inferorum custos, anguibus, villorum loco, horribiliter obsitus. Sic enim Virgilius ait:

h Hes. in Th. i 6. Æn.

Cerberus, hæc ingens latratu regna trifauci
Personat, adverso recubans immanis in antro.

Et Horatius. *k*

k Lib. 3. Od.

Cessit immanis tibi blandienti
Janitor aulæ
Cerberus, quamvis furiale centum
Muniant angues caput ejus, atque
Spiritus teter, saniesque manet
Ore trilingui.

Ac jam adeamus Inferorum Principes, Plutonem, ac Proserpinam.

PLUTO.

l Diod. Sic. 4. Bibl.

MYSTAG. Hic ipse est Pluto, Rex Inferorum, Ope & Saturno genitus, Jovis ac Neptuni frater; cui Inferna Regna tribuuntur, non idcircò solùm, quòd in illa sortitione; de qua dictum à nobis est, non uno in loco, pars occidua ei obtigit; sed etiam, ut ajunt *m* quidam, quia sepulcrorum, honorumque

m Idem ap. Lil.

fune-

funebrium, qui mortuis impendi solent, usum induxit. Ex quo fit, ut in mortuos credatur *n* exercere principatum. Illum aspice, in solio tenebricoso considentem; ejusque habitum, regnique insignia, singillatim, si potes, explica.

n Eurip. in Phœn.

PAL. Video, ut in tantis tenebris, & internoscо illum facilè. Clavem *o* gerit loco sceptri *p* & Coronam ex ebeno.

o Paus. in pr. Iliac. p Martian.

MYST. Quin etiam fasciis coronatum *q* aliquando vidi; & Narcissi quandoque floribus, nec non Cypariſſi frondibus; his enim plantis oblectari ajunt; *qq* Narcisso maximè, quòd florem illum, dum carperet Proserpina, rapta sit ab ipso Plutone, ut mox subjiciam. Et pro sceptro, non rarò, virga *r* tribuitur; quâ mortuos deducit ad inferna. Galeam etiam *s* nonnunquam induit, quâ tectus *t* ex adverso nequibat conspici. Equos habet & *u* currum, nigri coloris: quo tum vehebatur, cùm rapuit Proserpinam.

q Lyl. Gyr. Varr. ap. eund. qq Schol. r Pind. in Od. s Hom. 5. Il. t Hygin. in Astr. Poët. u Ovid. 5. Met.

Quod si quæras à me, quid sibi velint Claves illæ quas manu gestat; in promptu est responsio; nimirum ut significetur, semel admissis in sua regna mortuis, tanquam foribus obseratis, non patere regressum ad vitam. Nam

----- *x Facilis descensus Averni;* x Virg. 6. Æn.
Sed revocare gradum, superasque evadere in auras
Hoc opus, hic labor est.

PAL. Cur autem. *Pluto* dictus est?

MYST. Et alia, quibus insignitur, enucleabo nomina; postquam de Plutone respondero.

PLUTO; nomen Græcum est Πλούτων, sic dictus, ἀπὸ τοῦ πλούτου, à *divitiis*, à Latinis, eandem ob causam, DIS appellatus, quod scilicet, Opes omnes ab inferis, hoc est, ex intimis terræ visceribus eruantur: & quia, ut scribit Tullius, *y* Terrena vis omnis, ac natura ipsi dicata credebatur.

y 2. de Nat.

batur, nam & omnia in terras recidunt, & ex iis rursus eruuntur omnia.

z Socr. ap. Plut. Phurn. Gaz. ap. Lil.

Ἅδης, à Græcis nominatus, quasi *z* ἀειδὲς, id est, *triste, tenebrosum*, aut quasi, ἀόρατος, quod videri minimè possit; aut ab *α* privante, & εἰδεῖν *videre*.

a Ap. Lil. Gyr.

AGESILAUS, *a* παρὰ τὸ ἄγειν τοὺς λαοὺς à *ducendis* ad inferos *populis*; Vel, ut alii legunt, *Agelastus*, à γελάω, *rideo*, quod *sine risu* sit, quod nunquam rideat.

b Ovid. in Fast.

FEBRUUS, *b* à purgationibus & lustrationibus funerum, (nam *februo* antiquum, & *purgo*, idem est) unde *Februarius* mensis, quod tunc potissimum à Romanis huic Deo sacra fierent, *Februa* dicta.

c Cic. in Ver. 6. d Guth. Lib. 1. c. 4. de jur. man.

ORCUS, quasi *Urgus* & *Uragus*, ab *Urgendo*; *c* quod omnes urgeat in interitum. Quam interpretationem *d* quidam respuunt. Nam Οὐραγὸς, Græca vox est, eumque significat, qui agmen claudit, quod ad Plutonem aptè referri potest, qui postremum humanæ vitæ actum excipit.

e Fest.

QUIETATIS *e* quod morte quietem cunctis asserat.

f Aug. 4. de Civ.

SUMMANUS, quasi *Summus Manium* Deorum *f*; cui attribuebantur nocturna fulmina. Dictus etiam passim, *Jupiter Infernus*, *Stygius*, *Tertius*, sicut Neptunus, *Jupiter secundus*.

PAL. Quæ fuit Plutonis potestas?

MYST. Si ex supra dictis, nondum satis intelligis, accipies à Parcis, illum ita compellantibus.

g Ap. Claud. de rapt.

----- g *O maxime noctis*
Arbiter, umbrarumque potens, cui nostra laborant
Stamina, qui finem cunctis, & semina præbes,
Nascendiqne vices alterna morte rependis,
Qui vitam, lethumque regis.

PLU-

PLUTUS.

PLUTONI Plutum adjungo, etsi de Diis non sit Inferis, facit tamen affinitas nominis & muneris in utroque Numine, ut hoc loco perpauca de illo ex occasione videantur esse dicenda. Nam uterque divitiarum Deus est; & divitias, invitamenta malorum omnium abduxit natura parens, prope Tartara; nec ulla est ad Inferos via compendiosior, quam divitiis quærendis inhiare.

Fuit autem Plutus, *b* Jasônis, seu Jasii ex Cerere filius, oculis orbus, claudus, expersque judicii, timidissimæque naturæ. Et bene omnino; *Cæcum* enim esse decuit ac *mente captum*, qui probos sæpiùs prætereat in distributione copiarum, improbos contrà divitiis cumulet: *Claudum* verò, quòd tam serò comparentur opes; *Timidum* denique, quòd divites, ingenti sollicitudine metuque pro thesauris excubare soleant suis.

b Hes. in Th.

PROSERPINA.

MYST. Quam Plutoni cernis adsidentem, Erebi Regina est, Inferna *i* Juno, ac Domina (Eam & Græci vulgò Δέσποιναν vocant *k* id est, Dominam) ipsiusque Plutonis, chariss ima conjux, Proserpina, seu Libera (utrumque enim nomen habet) Cereris filia, *l* & Jovis; qui in Taurum versus, cùm illam genuisset natam, *m* rursus in Draconem mutatus, violavit amplexibus. Ex quo factum deinde fuit, ut in Sabaziorum mysteriis, coluber aureus *n* in spiram convolutus adhiberetur, qui initiandis immissus in sinum, per inferiora educi consueverat.

i Virg. 6.
k Paus. in Arcad.
l Hesiod. in Th.
m Arnob.
n Euseb. 3. præp. Ev.

PAL. Quonam verò fato, Proserpina, hujus Dei nigerrimi uxor facta est?

MYSTAG. Accipe: Cùm Dearum nulla, Plutoni ob deformitatem nubere vellet, contemptum se dolens despectumque Pluto, quòd cœlibem agere vitam cogeretur, ira stimulante currum conscendens, exti it repentè è spelunca quadam Siciliæ; *o* visâque Virginum lectissimarum coronâ, flores in Enneis campis legentium, (locus est amœnissimus, in media insula situs, qui propterea, *Umbilicus Siciliæ* nominatur) earum unam, Proserpinam nomine, conspicatus, formâ cæteris præcellentem, amore inflammatus irruit; abremptamque ex eo loco virginem, secum asportavit, ac subito, non longè à Syracusis, penetravit sub terras, ubi repente lacus extitit. Quo in loco usque ad hoc tempus, inquit Cicero, *p* Syracusani festos dies anniversarios agunt, celeberrimo virorum mulierumque conventu.

o Cic. 6. in Verr.

p Ibid.

PAL. O Infelicem! miseret me miseræ; doleo ejus vicem. Sed, quid deinde secutum est?

MYST. Exanimatis metu cæteris Nymphis Proserpinæ comitibus, & hac illácque dissipatis, quâ se dabat fugæ locus; advenit Dea Ceres raptæ mater, quæ tum fortè aberat; filiam non inventam diu quærit apud familiares, sed frustra. Itaque accensis tædis, iis ignibus, qui ex Æthnæ vertice erumpunt, investigat natam per omnes orbis plagas, nec conquirendi facit finem, donec Arethusæ Nymphæ indicio, certior redditur de raptu filiæ. Ergo irâ exardescens, Jovem extemplo adit, *q* cum illo expostulat, de vi, à Plutone illatâ natæ. Quid multis? Demum impetrat illius reditum in terras, modò nihil degustarit apud inferos. Jamque ibat ovans Ceres: jamque triumphans gaudio redibat ad superos Proserpina, cùm *r* ASCALAPHUS, nescio quis, nuntiat, vidisse se Proserpinam, cum in Plutonis pomario deambularet, malumq; granatum decerperet, ex eoque grana delibaret aliquot. Quo fatali

q Serv. 1. Georg.

ASCALAPHUS.

r Ovid. l. 5. Met.

fatali indicio, intercluſus eſt Proſerpinæ reditus ab inferis. At Ceres, novo perculſa caſu, & commota vehementer infauſto nuntio, Aſcalaphum mutavit in Bubonem avem malè omnioſam, auguriique peſſimi. Tum importunis precibus extorſit demùm à Jove, faceret poteſtatem Proſerpinæ, dimidiâ ſaltem ut anni parte, habitaret apud ſuperos, reliquo tempore degeret apud inferos, cum viro.

Et ſ Dea, regnorum Numen commune duorum, ſId. ibid.
Cum matre eſt totidem, totidem non conjuge menſes.

Sicque amare poſthâc cœpit marinum haud amabilem, ut zelotypia obnoxia, MENTHEN, Plutonis pellicem, in Mentham, ſui nominis herbam commutarit. MENTHE.

FABULÆ SENSUS.

DE PROSERPINA.

PAL. Fabellam narraſti lepidam; Ecquis illius autem ſenſus eſt?

MYSTAGOG. Dicam: Terra, Ceres eſt, t Varr. ap. Aug. 7. de Civ. *t* ejusque filia Proſerpina, ipſiusmet Terræ fœcunditas, vel etiam ſemen, *u* quo fœcundatur. u Euſeb. 5. præp. Quod ſemen, quia per hyemem ſub terra latet, æſtate verò erumpit ac proſerpit, idcircò dicitur Proſerpina, mediam anni partem habitare in in Inferis, alteram autem apud Superos. Id ipſum alii, ad Lunam referunt, quæ ſub inferiori hemiſphærio deliteſcens, tantundem temporis nobis occulta eſt, quantum in ſuperiori, conſpicua.

Sunt qui Hecaten, eundem eſſe putent cum Proſerpina: Eorum ſi tu opinionem ſequi voles, revocare in mentem debes, quæ de illa, cùm ageremus de Diana, diximus.

Nunc autem oculos ad Plutonis Tribunal revoca.

voca. Æterna nimirùm, coram illo exerceri judicia vides, in hac pictura luctuosa; ubi, Accusatores, iidem, ac Rei, quos inique viventes olim, æqua morte mulctarunt Parcæ ternæ; mortuos, æquis sententiis condemnant terni Judices; damnatos, æquis suppliciis excruciant Tortores terni, Furiæ.

PARCÆ.

PALÆOPHILUS. Ubinam illæ Parcæ sunt? Ostendesis.

MYSTAGOG. Anus sunt illæ tres, *x* niveo redimitæ vellere, veste insignes candidâ, purpureo prætexta limbo, quas *y* Nocte, Erebo-que, aut *z* Necessitate, aut Mari *a* ortas, aut ex rudi illâ indigestaque mole, quam veteres dixere *chaos*, natas ajunt. *Parcæ* dictæ, à *Partu*, ut Varroni placet, quòd nascentibus hominibus, bona malaque conferre censeantur; vel, ut plerisque magis arridet, *b* à *parcendo*, nempe per antiphrasim, quòd nemini parcant. Habent & *Fati* nomen, quod quia *c* ad triplex sè tempus explicat, idcirco ternæ numero sunt. Est autem *Fatum*, id omne, *quod à Deo constitutum*, inquit Tullius, *& designatum est; ut eveniat, quod Græci εἱμαρμένην appellant.* Himarmene porro illa, *sempiterna quædam est*, *e* ait Chrysippus, & indeclinabilis rerum series & catena, sese volvens & implicans, per æternos consequentiæ ordines, è quibus connexa est. Cæterùm à *fando*, *f* Fatum dicitur, quod nascentibus *fando* constituatur à Parcis; ut in Meleagro vidimus.

PAL. Quæ sunt earum nomina, muniáque?

MYST. Uni nomen est CLOTHO, à verbo κλώθω, id est, *neo*. Altera vocatur LACHESIS, à λαγχάνω, *sortior*. Tertia, ATROPOS, à τρέπω, *verto*, & α, privante particulâ, quòd mutari & flecti nequeat. Latini eas dixere, Nonam, Decimam, Mortam. *g*

x Catull. in Epit. Thet.
y Hesiod.
z Plat. l. 10. de Rep.
a Lycophr.
b Serv. in 1. Æn.
c Eusseb. 6. præp. Evd De fat. & 1. de Divin.
e Boet. in Top.
f Varr. ap. Lil.
g Cesen. Vind. ap. Gyr.

Mu-

Munus autem earum est, fatale exercere lanificium. Nam Clotho colum gestat, & stamen ducit: Lachesis fusum versat: Atropos incidit filum forsice. Hoc est; Prima nos in vitam vocat; Secunda, humanæ vitæ sortem præfinit; Ultima, vitam abrumpit. Una loquitur, inquit *b* Servius, altera scribit, tertia fila ducit. h In 1. Æn.

FURIÆ.

PAL. Monstra verò illa, fœmineo vultu, sed horribili, armata facibus accensis, anguibus colla humerosque verberantibus terrifica, qui vocantur?

MYST. Furiæ, *i* seu Diræ, *k* & Eumenides, *l* atque etiam Canes, *m* Nocte *n* Acheronte satæ; ita dictæ, quòd homines sceleratos in furorem agant. Proprium verò singularum nomen est. ALECTO, TISIPHONE, & MEGÆRA, Virgines *o* creditæ, quòd malefactorum cùm sint ultrices, corrumpi adducique nequeant, quominùs meritas reposcant pœnas. i Virg. 3. Æn. k Ibid. 8. l Ibid. 4. m Ibid. 6. n Ibid. 11. o Suid. & Orph. in hymn.

PAL. Cur tres tantùm finguntur?

MYST. Quia *p* ternus Furiarum numerus, triplicem animi denotat affectum, Iram, Cupiditatem, & Libidinem, quibus mortales, in omnia facinora præcipites rapiuntur; Irâ ultionem, Cupiditate divitias, Libidine voluptates immoderatas, per fas & nefas expetentibus. Quartam *q* tamen quidam addunt Furiam, *Lyssam* nomine, id est, *Rabiem*; sed facilè ad alias reduci potest, ut etiam *Erinnys*, quod commune Furiis omnibus nomen est. p Ifid. ap. Gyr. q Eurip. in Herc. fur.

PAL. Quod earum officium fuit?

MYST. AG. In scelerum cogitatione ac vindicta; & in animorum sibi male consciorum exagitatione, versari. Unde vulgo dicuntur Deæ speculatrices & vindices facinorum. Vindicant au-

autem torquentque improbos, eos perterrendo & infectando tædis ardentibus. Earum cernis imaginem,r descriptionem audi.

r Virg. 10. Æn.

Dicuntur geminæ pestes, cognomine Diræ,
Quas, & tartaream, Nox intempesta, Megæram,
Uno eodemque tulit partu, paribusque revinxit,
Serpentum spiris, ventosasque addidit alas.

PAL. Quid Furiarum nomine, à Poëtis significatur?

MYST. Nihil aliud significari, ait Cicero *f*, quàm eos, qui aliquid impiè sceleratéque commiserint, agitari, & perterreri, non furiarum verberibus, ac tædis ardentibus, sicut in fabulis; sed angore conscientiæ, & fraudis cruciatu: *Sua enim quemque fraus*, inquit, *& suus terror, maximè vexat; suum quemque scelus exagitat, amentiáque afficit; suæ malæ cogitationes, conscientiæque animi terrent. Hæ sunt impiis, assiduæ & domesticæ Furiæ, quæ dies noctesque, pœnas à sceleribus repetunt.*

f Or. pro. Rosc. Am.

NOX. MORS. SOMNUS.

PAL. Noctis & Erebi feci sti mentionem; Etiamne in Diis numerantur?

MYST. Etiam. Nox quidem, Dearum omnium habetur antiquissima, è Chao genita, ut ipse quoque EREBUS, Inferorum Deus & pater. Ex iis autem, Nocte, inquam, & Erebo, nata MORS est, atris alis, *t* & stellata veste nigri coloris, instrui solita; quæ, quia nullis precibus flecti, *u* nullis placari potest sacrificiis, mirum non est, quòd nulla templa, nec sacra, nec Sacerdotes obtinuerit. *x* Mortis frater, SOMNUS est; & alatus *y* ipse, quem sic Iris, ad ejus regiam profecta, Junonis nomine salutat. *z*

t Hor. 2. Serm.
u Orph. in hymn.
x Homer. Il. Ξ.
y Virg. 5. Æn.
z Ovid. 11 Met.

Somne,

Somne, quies rerum, placidissime Somne Deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Fessa ministeriis mulces, reparasque labori.

In hac somni regia, duæ portæ sunt, ut ait Maro, *a* per quæ somnia emittuntur. a 6. Æn.

Sunt geminæ Somni portæ, quarum altera fertur
Cornea, quâ veris, facilis datur exitus umbris:
Altera candenti perfecta nitens Elephanto,
Sed falsa ad cœlum mittunt insomnia Manes.

Quæ *b* Somnia inducit MORPHEUS, somni administer, in omnes se figuras induens; & sedere illa *c* dicuntur sub foliis omnibus, ulmi cujusdam ingentis, & opacæ apud Inferos. Sed redeamus ad Plutonis Aulicos. b Ovid. 11. Met. c Virg. 6. Æn.

INFERORUM JUDICES.

MINOS, ÆACUS, RHADAMANTUS.

FURIIS, & Parcis ternis, adstant, uti vides, *d* terni Judices, Minos, Rhadamantus, & Æacus; qui ob prudentiæ, æquitatis, ac temperantiæ laudem, quâ floruerunt apud Cretenses, Animarum Judices crediti sunt. Duo primi, Jovis dicuntur, ex Europa filii; Ultimus, eodem Jove & Æginâ procreatus; *e* qui à peste, quæ colonos Æginæ omnes absumpserat, solus superstes, Jovem parentem precatus dicitur, ut genus hominum penè perditum repararet. Exaudivit Jupiter orantem, & formicas, quæ in annosa quercu & vacua vagabantur, commutavit in homines, dictos à formicis Myrmidones, (nam μύρμηξ *formica* est.) d Hom. 8. Odyss. e Ovid. 7. Met.

Sic

Sic autem judicandi provinciam, partitus est
f Plat. in Gorgia. Pluto, *f* ut Asianos Rhadamantus, Æacus Europæos judicarent, baculum uterque tenens; At Minos sceptro insignis aureo, solusque sedens; Rhadamanti, & Æaci judicia discuteret, & si quid inter eos ortum esset ambigui, aut difficilioris negotii, cognosceret, disceptaretque.
g l. 1. Tusc. Quartum adjungit Cicero *g* judicem, Triptolemum; de quo suo loco egimus.

DAMNATI FAMOSISSIMI.

A JUDICIBUS, ad Reos transeundum nobis est, quos tetris illic coloribus adumbratos aspicis. Paucos de celebratissimis indicare fuerit satis, eorumque pœnas, & causas pœnarum, crimina, perstringere.

Gigantes.

h Hesiod. in Theog. Nati sunt, è Terra, *h* Cœlique sanguine, qui à pudendo, quod ei Saturnus filius inflixit, vulnere defluxit; Staturæ, omnes, excelsissimæ, draconum pedibus horribiles, formidando oris totiusque corporis habitu, contra superos pugnare ausi, ut Jovem de cœli possessione dejicerent
1. Homer. Odyss. 12 k Ovid. 1. Met. l Duris Sami. m Nat. Com. l. 6. Itaque cum Diis congressi, è summis montibus, quos aliis alios imponebant, *k* ejaculari in cœlum ignitas arbores, & saxa ingentia, rupesque solitas, torquere cœperunt, quæ *l* deinde in terram cùm recíderent, montes efficiebant; quæ verò in mare, insulas. Pugnatum est, in Phlegræis campis, (ipsam prope Campaniæ *m* oram, quæ à subterraneis ignibus, aquarumque calidarum, quibus abundat, perenni fluxu, *Phlegra* dicta est,) à Gigantibus sanè infeliciter, quippe qui ad unum omnes, quâ Jovis fulmine; quâ telis Apollinis, quâ Deorum aliorum armis, inter-

internecione deleti sunt; natis, ut scribunt quidam, ex eorum cruore in terram fuso, serpentibus, cæterisque animalibus venenatis ac pestiferis. Eorum nominatissimi fuere,

TIPHOEUS, *n* sive Tiphon, solâ Junone genitus: magnitudine tantâ, ut cœlum vertice, alterâ manu Orientem, alterâ Occidentem contingere diceretur; ex humeris autem, centum capita draconum eminerent, toto corpore pennis obtecto, impexo crine, luminibus igneis, ore flammas eructante. Afflictus demum oppressusque est, totâ, quàm late patet, Siciliâ insulâ. Nititur, inquit Ovidius,

n Homer. hymn. in Apollon.

Nititur ille quidem, pugnatque resurgere sæpe:
Dextra sed Ausonio manus est subjecta Peloro,
Læva Pachyne tibi, Lilybæo crura premuntur;
Prægravat Ætna caput.

Pelorus, Pachynus, & Lilybæus, tria sunt Siciliæ promontoria, seu tres anguli; habet enim hæc Insula Trianguli formam, unde *Trinacria* dicitur.

EGÆON, Gigas immanis & sævus, cui centum manus erant & quinquaginta capita, ut testatur Virgilius. *o*

o 6. Æn.

Ægeon qualis, centum cui brachia dicunt,
Centenasque manus, quinquaginta oribus ignem
Pectoribusque arsisse, Jovis cum fulmina contra
Tot paribus streperet clypeis, tot stringeret enses.

Ex quo, *Centumgeminus* dictus est, & à Græcis *p* BRIAREUS; qui uno impetu, centum scopulos torquebat in Jovem; à quo tamen prostratus, centumque vinctus catenis, sub Ætnam montem detrusus est, *q* qui quoties latus moveret, ingentes mons ille flammas evomeret.

p Hom. Il. 1.
q Callimach. in lavacr. Deli.

O ALOEUS,

r Virg. 6. Æn. ALOEUS, r cum ob ingravescentem ætatem, ferre arma, ad versus Deos non valeret, duos conjugis suæ ex Neptuno filios, Othum & Ephialtem qui ab Aloëo, dicti sunt Aloïdæ, submisit sub loco, suppetias laturos Gigantibus. Sed hi quoque pari fato functi, pares temeritati suæ pœnas dedêre in Orco.

s Apoll 1. TITYUS, s Jovis filius, & Elaræ: quam cum ille stuprasset, veritusque Junonis indignationem, occultasset in specu subterraneo; instante partûs tempore, puerum miræ magnitudinis enixa est, qui dehiscente terrâ, in lucem effusus, creditus est Terræ filius. Hic postea instinctu Junonis, non veritus appellare Latonam de stupro, Jovis fulmine ictus, ad inferos deturbatus est. Ubi, humi exporrectus, novem terræ jugera occupare dicitur, & jecur perpetuò cum Luna renascens, vulturi exedendum præbere.

t 6. Æn. Ita enim de illo, Maro, t

Necnon & Tityum Terræ omniparentis alumnum
Cernere erat; cui tota novem per jugera corpus
Porrigitur, rostroque immanis vultur adunco,
Immortale jecur tundens, fœcundaque pœnis
Viscera, rimaturque epulis, habitatque sub alto
Pectore, nec fibris requies datur ulla renatis.

u Æschyl. in Prometh. TITANES, u his addi possunt, Terrâ Cœloque nati, quorum princeps Titanus Saturni frater natu major, cùm ereptum sibi regnum hæreditario jure debitum, frustrà repeteret, in Jovem arma movit, à quo unà cum suis profligatus, ad tartara dejectus est.

Sceleribus insignes.

PHLEGYAS, Lapitharum in Thessalia Rex, Coronydis Nymphæ pater, quam cum rescisset ab

ab Apolline vitiatam, ira furens, Templum, quod habebat Delphis, incendit; eaque propter, telo transverberatus ab Apolline, hac in Inferis afficitur pœnâ, ut sub ingenti saxo ruinam minitante sedens, semper timeat, quod nunquam patitur; illud subinde exclamans:

x Discite justitiam moniti, & non temnere Divos. x Id. ibid.

IXION, Phlegiæ filius, post sororem peremptam, veniamque à Diis obtentam, in cœlum evectus, eò prorupit dementiæ, ut Junoni conatus sit stuprum offerre. Quare, in pœnam impudentissimæ cupiditatis, oblatam sibi à Jove nubem, Junonis specie figuratam, corrupisse dicitur fatuus adulter; ex quo compressu, Centauros, fœda monstra, nata esse fabulantur. Dejectusque in terram, cùm passim gloriaretur, se intulisse vitium, Deorum Reginæ, fulmine ad Inferos præceps actus est, ubi rotæ adstrictus, indesinenter circumagitur.

SALMONEUS, regnans in Elide, regios fastidiens, divinos ambiit honores. Id, ut assequeretur, excitato super urbem, sublimi ponte æneo, agitabat super illum currus, ad imitanda tonitrua, & in quem jaculatus esset facem, eum statim jubebat occidi. Hominis arrogantiam non tulit Jupiter, & è theatro suo superbum præcipitavit in tartara. Vidi, inquiebat ille, y

Vidi crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Jovis, & sonitus imitatur Olympi. y Ap. Virg. 6. Æn.

SISYPHUS, infamis latro, occisus à Theseo; eo supplicii genere cruciatur in inferis, ut ingens *& non exsuperabile saxum*, in excelsi verticem montis provolvat, quod simul ac cacumen attigit, repentè deorsùm revolvitur.

BELIDES, à z Belo avo dictæ, ut DANAIDES, à Danao patre, fuerunt quinquaginta Virgines sorores, quas Danaus, totidem fratris sui z Herod. in Argon.

filiis despondit uxores. At cum accepissel ab oraculo, se ab uno, è suis generis, de medio sublatum iri, filias præmonuit, ut peractis nuptiis, pugionibus clàm armatæ, suum quæque maritum somno sopitum jugularent. Perfecere meditatum scelus singulæ, exceptâ Hypermnestrâ, quæ Lynceo pepercit viro suo, isque postea occiso Danao, regnum invasit. At sceleste filiæ, in pœnam tantæ impietatis, ex altissimo puteo, haustam aquam effundunt continenter in dolium, cribri instar perforatum, donec illud impleant: quod dum frustrà conantur, labore infinito juxta, inutilique franguntur; Ovidio *a* teste,

a 4 Met.

Assiduas repetunt, quas perdunt Belides, undas.

b Euseb. præp. Eu.

TANTALUS, *b* Jovis ex Plote Nymphæ filius, Deos omnes cum invitasset & excepisset convivio, eorum divinitatem certo exploraturus argumento, filium suum PELOPEM, membratim discerptum; coctumque, eis comedendum apposuit. A quibus epulis nefandis abstinuere omnes, præter Cererem, quæ pueri humerum devoravit; *c* sed ejus loco, substituere Dii eburneum, & revocatâ per Mercurium ex Inferis animâ, Pelopem vitæ restituerunt. Hic Pelops est, à quo & Hippodamia conjuge nati, ATREUS, & THYESTES; quorum ille, quod uxorem Atrei violasset, exulare jussus, aliquanto post revocatus est, Atreique operâ, filios ex adulterio fusceptos, lancibus illatos in communem mensam, comedit. Cujus facinoris horrore, Sol retrocessisse fertur, reflexo ad auroram cursu. Tantalus nepotibus multò magis impius, adactus ad tartara, huic supplicio addictus est, *d* ut inter epulas, æternâ fame, sitique torqueatur, aquas labrorum tenus affluentes, bibere prohibitus, & à cibis ori proximè admotis, coactus abstinere dentes. Nec id tantum, sed *e*

PELOPS.

c Pindar. in Olymp.

ATREUS THYESTES

d Hom. Odyss. λ.

e Virg. 6. Æn. Cic. Tusc.

Hunc

Hunc super atra silex, jam jam lapsura cadentique
Imminet assimilis.

De prima verò pœna illa, Ovidius:

Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus, hoc illi garrula lingua dedit.

Ajunt enim, illum Deorum secreta mortalibus evulgasse.

Avarum fabula illa exhibet, qui mediis in opibus inops, tam inhiat iis, quæ habet, quàm quæ non habet; ut rectè innuit *f* Horatius, in avarum stringens calamum: f 1. Serm.

Tantalus, à labris, sitiens, fugientia captat
Flumina. Quid rides? mutato nomine, de te
Fabula narratur.

MONSTRA TARTAREA.

PLENÆ sunt, fabulosis, hæ stygiæ picturæ monstris; sed hæc fœdissima per cæteris.

CENTAURI, Thessaliæ quondam populi, primi equos domare, & ex iis pugnare cœperunt; ex quo factum est, ut à vicinis populis primùm conspecti, membra partim humana, partim equina habere crederentur. At Poëtæ fingunt, eos ab Ixione, de quo modo dicebamus, & nube generatos, quam Junonem esse putaverat. Indeque *g Nubigenæ* dicti sunt, eosque *h* Bacchus vicisse dicitur. g Virg. 6. Æn. h Idem. 2. Georg.

GERION, *i* quem ideo Tricorporem & Tergeminum esse fingunt, quòd Rex esset trium Insularum, quæ *Belearides* dicuntur. Vel, quòd tres fuerint, eodem nomine fratres, eâ voluntatum consensione copulati, ut uno spiritu regi, & animari crederentur. Addunt, Boves illum habuisse, qui hospites vorarent, eorumque custodem Canem bicipitem, & Draconem septem capitibus præditum; quibus interemptis, Boves abegit Hercules. i Idem 6. Æn.

HARPYIÆ, *k* ita dictæ, ab ἁρπάζω, *rapio*, Oceano & Terrâ natæ, corpore volucri, vultu virgineo, manibus aduncis, habitabant in Insulis. Earum nomina fuere Aello, Ocypete, & Celeno, quæ ultima Zephyrum, & Achillis equos, Balium scilicet & Xanthum genuisse dicitur. Eas ita depinxit *l* Maro.

k Serv. 1. Æn.

l 3. Æn.

At subitò, horrifico lapsu, de mentibus adsunt
Harpyiæ, & magnis quatiunt clangoribus alas;
Sive Deæ, seu sint Diræ, obscœnæque volucres.
Tristius haud illis monstrum est, nec sævior ullæ
Pestis, & ira Deûm, Stygiis sese extulit undis.
Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris
Proluvies, uncæque manus, & pallida semper
Ora fame.

GORGONES *m* tres Phorci Cetíque filiæ, Medusa, Sthenio & Uriale; Caput habebant, non capillis, sed viperis horridum, quo tantum terrorem intuentibus afferebant, ut in lapides rigescerent illicò. Hoc commento adumbratam volunt earum pulcritudinem admirandam, sic, ut qui eas aspicerent, stupore torpere, eodemque in loco, tanquam saxa, hærere viderentur. Aliæ ab istis fuere Gorgones, iisdem licèt ortæ parentibus, alio nomine dictæ

m Virg. 6. Æn.

LAMIÆ, *n* quas *Empusas* vocant aliqui, unum oculum, unumque dentem communem habuere, quo uterentur, cum domo exirent; domi autem, illum in vasculo quodam reponebant. *o* Facies illis erat mulieris, itemque pectus & mammæ, inferiora squammis obsita, & in serpentem desinentia. Fraude circumventos devorabant homines, nam nudato pectore, uberibus

n Æsch. in Prom.

o Dion. hist. Liby.

ribusque patefactis, demissis præ pudore luminibus, intuentes ad confabulandum alliciebant, proximèque accedentium involabant in fauces, suffocatosque crudelissimè laniabant. Quid lethifera muliercularum lenocinia significantius exprimit? A quibus sacræ litteræ cavendum his verbis admonent: *Lamiæ nudaverunt mammam.* Ajunt alii[p] Lamiam fuisse unicam, præstanti forma fœminam, quæ à Jove compressa, zelotypia Junonis, cum susceptos amisisset liberos, dolore efferata, aliorum filios in cunis vorare dicitur. Thren. 4. 3. p Duris. 2. rer. Libyc.

CHIMÆRA, *q* monstrum flammas evomens; Caput & pectus Leonis habet, ventrem Capræ, Caudamque Draconis: q Homer Il. ζ. Hes. in Theog.

Prima Leo, postrema Draco, media inde Capella.

De quâ, ipse Ovidius.

Quôque Chimæra jugo? mediis in partibus Hircum,

Pectus & ora Leæ, caudam Draconis habebat.

Fabulæ dedit locum, mons Lyciæ ignivomus, in cujus cacumine Leones habitant; in medio, quod pascuis abundet, Capræ; ad radices autem serpentes. Quem *r* montem, quia Bellerophon habitabilem reddidit, Chimæram occidisse dicitur. r Paus. in Corinth.

SPHINX, *s* monstrum Typhone & Echidnâ genitum, caput & faciem puellæ habens, alas avium, reliquo corpore, canis speciem referens, infestum habebat Thebanum agrum, è monte Sphincio in viatores faciens impetum. Consultus Apollo, nullum tanti mali finem respondit futurum, nisi quis Sphingis ænigma dissolveret. Quod cum plurimi frustra tentassent, discerptique fuissent à monstro; Creon, per id tempus Thebis imperitans, edicto per universam Græciam promulgato, Jocastam sororem suam, promisit se ei daturum, qui explicasse s Vid. Nat. Com.

Sphingis ænigma. Hac spe excitatus Oedipus, ænigma, quod erat hujusmodi, *Quodnam animal, mane quadrupes, meridie bipes, vesperi tripes esset*, feliciter enodavit: Illud animal, Hominem esse dicens, qui in infantia, manibus & pedibus repens, *Quadrupes* est; ætate procedente, fit *Bipes*, quippe qui nullo alio, quàm pedum adminiculo nititur; senex vero factus, assumpto scipione, *Tripes*, graditur. Quam explicationem Sphinx, sic ægrè tulit, ut se statim de saxo præcipitaverit.

t Stat. Theb. 1. Plutar. Ælian, & alii.

OEDIPUS *t* autem ille est, à quo cùm Laïus pater, Thebanorum Rex, se interfectum iri didicisset ex oraculo, militi dedit, in Sylva trucidandum. At hic pietatis sensu commotus, nec ausus cruentare manus, innocentis regio sanguine, trajectis ferro pedibus, suspendit ab arbore, inediâ necandum. Ita derelictum Pastor quidam Polybii Corinthiorum Regis reperit. Hic Regis uxori offert, quæ liberorum expers, tanquam suum educat. Oedipus autem (sic enim puerum hunc vocavere, à tumore pedum, οἰδέω enim, *tumeo*, & πῦς, *pedem* significat) ubi adolevit, factus certior, se non esse Polybii filium, statuit parentes perquirere; consultoque oraculo, audit, se in Phocide patrem, reperturum. Illuc dum pergit, obvium patrem, sed incognitum, coortâ rixâ perimit. Tum Thebas petens, Sphingem vincit; & in præmium victoriæ, Jocastam matrem suam, insciens sibi matrimonio jungit, ex eaque filios duos, Eteoclem, & Ilmenam suscipit. Denique cum certis indiciis cognovisset, se Patrem occidisse, & duxisse matrem, dolore percitus, sibi oculos eruit, *u* & cæcum Antigona filia rexit, prohibuitque, ne sibi manus afferret violentas.

u Senec. in Oedip.

ETEOCLES autem & POLYNICES, Oedipo & Jocastâ nati, cùm *x* in paternum regnum, eâ con-

x Stat. in Theb.

conditione successissent, ut alternis regnare deberent, Eteocles natu major, primo postquam regnavit anno, noluit fratri Polynici locum dare. Exortum inde utrinque grave bellum, in quo, ambo fratres, singulari certamine dimicantes; mutuo se confecere vulnere. Ferunt, in mortuorum cadaveribus vixisse iram, & conjectis in eundem rogum, eâdem flammâ comburendis, flammam sensisse funeris odium, & in duas scissam esse partes.

ELYSIUM.

LOCUS est in inferis, voluptatibus ac deliciis affluens, ita dictus, ἀπὸ τῆς λύσεως, à *solutione*; quòd Animæ piorum, corporeis solutæ vinculis, loca illa petant, postquam purgatæ sunt à levioribus noxis, quas contraxerant. Id certè unus de illorum numero, Æneam olim ita docuit. y

y Virg. 6. Æn.

Quisque suos patimur manes; exinde per amplum
Mittimur Elysium, & pauci læta arva tenemus.

Quæ arva, sic describuntur postea. z

z. Ibid.

Devenere locos lætos, & amœna vireta
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.
Largior hic campos æther & lumine vestit
Purpureo, solemque suum, sua sydera norunt.

LETHE.

FLUVIUS erat apud inferos à λήθη, id est, *oblivio*, Lethe dictus. Ejus enim aquam, si quis gustasset, præteritorum omnium oblivisceatur. Itaque, ubi multis sæculis, Animæ, in Elysiis campis versatæ fuerant, epotâ Lethæâ aquâ, reverti ad superos, & in nova corpora transmigrare credebantur.

Quod ut lubenter facerent, erat utique necessarium, ut tum voluptatum, quas in Elysio percepe-rant; tum malorum, quæ fuerant in hac vita perpessæ, oblivisc erentur. Quis enim aliter in vitam hanc miserrimam redire voluisset.

a Id. Ibid. ----- *Animæ, a quibus altera fato*
Corpora debentur, Lethæi ad flumminis undam
Securos latices, & longa oblivia potant.

b Ibid. Exibant autem *b* ab Elysiis animæ, per Eburneam illam portam, quam in hac inferiori parietis parte, depictam vides. Per quam, & nos etiam, si tibi videbitur, ex inferis regnis exhibimus; venustiora, sed non minùs ridicula, cæterorum Numinum simulacra speculaturi.



PARS

PARS V.

DE DIIS MINORIBUS.

QUINTA nobis jam lustranda est, Palæophile, Panthei hujus Mythici, anterior regio; in qua *Dii Minorum Gentium* (quos, ut initio admonui, alii *Semones*, alii *Minutos*, *Plebeios*, ac *Patellarios* appellavêre) non promiscuè, sed ordine, ut in tanta turba, non inelegante, depicti sunt. Constat, apud Romanos fuisse sine numero. Omnibus quippe fermè rebus, Deum cuique suum præfecêre, aut præfixêre potiùs.

Et verò, si uni custodiendæ Januæ, ternos præposuêre; nimirùm, Deum FORCULUM; qui fores; Deam CARDUAM, quæ Cardinem; Deum LIMENTINUM, qui limen servaret, quantam eorum multitudinem fuisse, putandum est, quos rebus affinxêre majoris momenti. Eos hic ego tibi solùm recenseo, & quasi per transennam ostendo, qui homini, ab exordio, ad finem usque vitæ, vel juvando, vel conservando præfecti sunt.

Dii Familiares & Domestici.

PENATES.

PENATES, à *penu*, ducto nomine: (*est enim*, inquit c Tullius, *omne quo vescuntur homines penus*) sive ab eo, quòd penitùs insident, (ex quo *Penetrales* à Poëtis vocantur, & locus, in quo servabantur eorum effigies, *Penetrale* dictus) Dii fuere, in intimis cœli penetralibus dominantes, ait Varro, quorum nec numerum, nec nomina scimus, sine quibus vivere ac sapere nequeamus, sed qui penitus nos regant ratione, calore, ac spiritu. Hos *Consentes*, & *Complices* Etrusci nominant, quòd Jovi sint à consiliis, & cæterorum Principes. Jovem tamen ipsum, cum Junone & Minerva, multi inter Penates annumerant. Sed quippiam dicamus hac de re clarius.

c. 2. de nat

Ap. Arnob. l. 3.

Triplex fuit velut ordo Penatium. 1. Eorum, *d* qui provinciarum ac regnorum curam gererent; iique absolutè *Penates* dicebantur. 2. Qui singulas urbes tuerentur; quos cum nominabant, addere solebant, *Patrios*, θεὺς πατρῴους. *e* De his Æneas:

d Virg. 1. & 5. Æn.

Tu genitor cape sacra manu, Patriosque Penates.

e Marc. 3. Sat. 14. Virg. 2. & 4. Æn.

Magnos item appellabant, *f* θεὺς μεγάλους: ut contra, *g Parvi* dicebantur Penates, qui in 3. postremoque ordine censebantur; scilicet, qui domibus *h* singulis præerant; de quibus poëtæ passim, & Maro nominatim, cùm de famulabus illis quinquaginta, quarum munus erat penum struere, *i & flammis adolere Penates*: & alibi, *k & sparsos fraternâ cæde penates*. Ubi advertendum est, sæpè usurpari *Penates*, pro domibus ipsis, in quibus colebantur. Ut cum dici-

f Plut. 4. Symp. q. 1

g Virg. 8. Æn.

h Cic. pro domo.

i 1. Æn.

k 4. Æn.

dicitur, *l Nostris succede Penatibus hospes*; & illud Tullii, Exterminare *m* aliquem à suis Diis Penatibus: Et, *n* liberos pellere domo, ac prohibere Penatibus.

l Vig. 8. Æn.
m Pro Sex.

Penatium forma, informis aliquando: ait enim Dionysius, *o* ex Timæi sententia, illos fuisse tantum lituos, seu *caduceæ quadam ferreæ & æreæ*; ipse vero censet, fuisse *Juvenes cum hastis, quas seorsùm alter ab altero tenet.*

n Fab. decl. 260.
o Lib. 1.

LARES.

LARES ex furtivo concubitu Mercurii cum Lara Nympha procreati. Cùm enim Lara, seu Lare, Jovis adulteria indicasset, iratus Jupiter, linguam ei præcidit, & ad Stygiam paludem relegavit garrulam. Eam igitur dum Mercurius pro suo munere, deducit ad inferos, reluctantem violat,

p *Fitque gravis, Geminosque parit, qui compita servant,*
Et Vigilant nostra semper in æde Lares.

pOvid. 2. Fast.

Dii ergo erant Domestici, præsides itinerum *q* & vicorum, *r* ideoque in vicis colebantur & compitis; ex quo Ludi in eorum honorem celebrari, *s Compitalitii*, & *Compitalitia*, seu *Compitalia*, vulgò dicti, in quibus, effigies virorum ac mulierum ex lana, suspendebantur in compitis, *t* & ex eadem materia tot pilæ, seu globi, quot erant in familia servorum capita, tot verò perfecta simulacra, quot liberi: Eo consilio nimirum, ut, quia hunc diem festum Deorum Inferorum, quos vocant Lares, esse putabant, contenti illi Dii, laneis hujusmodi simulacris, viventibus parcerent, eas Laribus consecrare atque suspendere; auctore Persio:

q Mart. 3. epigr. 57.
r Arno. 2.
s Varr. de re ruft. & 5. de ling. Lat.
t Fest. ap. Lil.

Bullaque succinctis Laribus donata pependit.

Canum *n* pellibus vestiti erant Lares; Imò teste

u Plut. in Probl.

teste Plauto, in Canis figuram efformabantur; Unde Canes, ipsis sacri. Locus autem Laribus sacer, *Lararium* vocabatur.

x Tibull. l. 1.
y Plan. in Probl. Aul.
z Juven. Sat. 9. & 12.
a Arnob. 5. ex Var.
b Lib. 10. Epist.

In eorum sacris frugum *x* eis primitias offerebant; *y* vino & thure supplicabant, sertis ornabant & corollis, *z* inde facto initio colendi Lares, quòd *a* mortuos domi conditos, venerabantur olim, ut Deos; quos deinde Lares appellârunt. Quin etiam Imperatorem Imaginibus adhuc viventium, vino & thure sacrificatum esse, tradit Pliniuis. *b*

GENII.

Nominis Ethymon.

c Aug. 7. de Civ.
d Cic. 2. de or. & 2. de invent.
e Censorin. de die nat. 3.
f Isidor. 8. Etym. c. ult.

GENIUS, à *gignendo*, *c* seu *genendo* dictus, (*Geno* enim *d* pro *gigno*, olim dicebatur) quòd vim habere omnium rerum gignendarum crederentur: seu, quod, *e* ut generemur, efficit; aut quòd unà gignatur nobiscum; aut, quòd nos genitos suscipiat ac tueatur. Unde *Genialis lectus*, in nuptiis sterni solitus, in honorem Genii: Et *Genialis dies*, quâ in lucem edimur, quamque præcipuâ hilaritate traducebant, ex quo, *Genialem vitam*, eos agere dicimus, & *Genio indulgere*, qui lautè vivunt, habent se molliter, animoque obsequuntur.

g Plat. in Cratylo.
h Isid. 8. Etym.
i Ex Hes. ap. Plat. ibid.
k Lib. de orac. def.

DÆMONES vocant, Græci, quos Latini Genios; à δαμάλω *exterreo*, *paßefacio*, ut putat Eusebius, vel quasi *g* δαήμονες id est, *prudentes* ac *scientes*, h *peritos*, *rerumque præscios*; nam responsa dabant consulentibus. Quo loco, censuit *i* Socrates, viros laudibus inclytos, post fata, in præmium virtutis, fieri Dæmones, quos medium esse genus, Plutarchus *k* ait homines inter & Deos.

Figura.

Figura.

Genii, figuram *l* serpentis ferè referebant: De quo Persius, *m* ejusque Interpretes,

Pinge duos angues; pueri, sacer est locus, extra Mejite.

Pueri etiam specie, aut puellæ, *n* & senis nonnunquam formabantur; quos, platani foliis coronabant, genialis arboris.

l Sat. 5. Theb.
m Sat. 1.
n V. Cerd. com. in Æn.

Sacra.

Genio fiebat, die cujusque natali maximè, floribus & vino. *o Funde merum Genio,* inquit ille: *p* & Horatius,

Floribus & vino Genium memorem brevis horæ.

Thus etiam *q* adhibebatur, & mola salsa; *r* Itemque porcus immolabatur, aliquando; cum tamen Censorinus scribat, Genio sacrificari non solere, cæde ac sanguine, ne die ipso natali, quo vitam accepimus, aliis adimamus.

o Pers. Sat. 6.
p 2. Epist.
q Plut. in Aul.
r Calph. Ecl. 5.
s Hor. 3. carm.

Officium.

Geniorum officium erat, Tutores esse, Præsidesque virorum, *t* (quemadmodum Junones fœminis suæ singulis aderant) & *u* Custodes assiduos, ac pervigiles, à cunis, ad tumulum; eorumque apud Deos, velut Interpretes & Internuncios. Unde *Præstites*, à quibusdam vocantur, quòd præsint gerundis omnibus, inquit Martianus. *x*

Duos dari, cuique homini, Genios credebant *y*, unum *Bonum*, alterum *Malum*; quos, *Album*, & *Nigrum*, vocat Horatius. *z* Nigrum hunc malumque Genium, apparuisse Cassio, hominis figurâ ingentis staturæ, nigrique coloris, memo-

t Polit. Miscell. c. 89.
u Arrian. in Epict. 12. de nupt.
y Plut. de Is. & Osir.
z 2. Ep. 2.

memoriæ proditum est, *a* interrogatumque quis esset, respondisse, se esse Κακοδαίμονα id est, malum Genium. Duos illos intelligi Genios, his Poëtæ verbis, *Quisque suos patimur Manes*, *b* ait Servius. Bonus enim, quem nascendo quisque nanciscitur, impellit ad virtutem; Malus contra, stimulat ad vitium.

a Val. Max. l. 1.

b Virg. 6. Æn.

Neque verò solis hominibus, sui attribuebantur Genii, sed etiam regionibus singulis, qui *c* *Numen loci* dicebantur. Imò & domibus *d* & portis omnibus ac stabulis, & focis; quòd autem foci ex laterculis solerent extrui, focorum Deus LATERANUS dictus est. *e* Sed de his satis, ad alios minutiores Deos accedamus.

c Id. 7. Æn.

d Prud. in Symm.

e Lil. Syn. 1.

DII NUPTIALES.

IN Nuptiis adhibebantur, & colebantur, non illi Dii quinque solùm, cæterorum principes, sine quibus nequibat matrimonium legitimè contrahi, videlicet, Jupiter Perfectus seu Adultus; Juno Perfecta, seu Adulta; Venus, Suada, Diana: sed etiam hi minores, quasi *Plebeji*, quos hic enumero. *f*

f Aug. de Civ. 4. c. 11.

JUGATINUS, *g* qui matrimonii jugo, virum, fœminamque jungeret.

g Id. Ibid. & l. 9. c. 9

DOMIDUCUS, qui Sponsam in Sponsi duceret domum.

DOMITIUS, qui novam nuptam, in viri domo custodiret.

MANTURNA Dea, cujus erat munus efficere, ut maneret cum marito conjux.

VIRGINENSIS invocabatur, cùm nuptæ virgini Zona solveretur.

CINXIA Juno, ab solvenda eadem zona, seu cingulo.

PRIAPUS, seu MUTINUS, super cujus immanissimum, *b* turpissimumque fascinum sedere nova nupta jubebatur, more modestissimo, si superis placet, & religiosissimo matronarum.

PER-

PERTUNDA, seu PARTUNDA, (Augustinum audimus, monentem hoc loco, *parcatur humanæ verecundiæ.*)

VIRIPLACA, quæ viros placaret uxoribus: Huic sacellum Romæ dicatum erat, *i* quò venire solebant Conjuges, quoties inter illos jurgium intercesserat; ibique invicem locuti, quæ voluerant, acerbitate omni depositâ, concordes domum revertebantur. *i* Val. Max. l. 2. c. 1.

MATUTA, (quam fuisse *Inok* Cadmi filiam, dictam à Græcis *Leucotheam*, ajunt quidam) à cujus templi aditu, *l* prohibebantur servæ; unicâ de omnibus admissâ à Matronis, cui colaphos infligebant. Ab hac Dea, nulla mater filiis suis, sed sororum liberis, bona precabatur, ideóque, dum illius sacris intererant, non suos, sed sororum filios ulnis gestabant. *k* Ovid. 3. Metam. *l* Plut. in Camillo. & quæst. Rom. 16.

MENA, *m* Luna credita, (nam μήνη Luna est) quæ menstruis mulierum præerat. *m* Aug. l. 7

FEBRUA, à *februo*, id est, à purgationibus sic appellata; cujus idem mnnus erat, ac Menæ.

DII PRÆSIDES PRÆGNANTIBUS.

PRægnantibus subveniebant invocati, *n* Dii tres. *n* Id. Ibid.

PILUMNUS, à Pilo dictus;

INTERCIDONA, à securis intercisione.

DEVERRA, à scopis, quibus verritur, sic appellata.

His enim tribus Numinibus, Sylvani Dii prægnantibus infesti, arcebantur. Quia enim, inquit Augustinus, nec arbores amputantur sine ferro, nec far conficitur sine pilo, nec fruges conservantur sine scopis; his culturæ signis, incultus, sylvestrisque Deus prohiberi credebatur intrare fœtæ cubiculum.

DII PRÆSIDES PARTURIENTIBUS.

PArturientibus hæ Deæ aderant, ut feliciter veniret fœtus in lucem.

JUNO Lucina, cujus ita formabatur effigies, *o* ut manum alteram vacuam haberet, quasi ad suscipiendam prolem; alterâ accensam facem, ad significandam vitæ lucem, cujus usurâ fruerentur, qui nascebantur.

o Nat. Co.

DIANA, *p* quam aliqui, eandem cum Lucina esse putant. De qua concinnè Timæus, inquit Cicero, *q* qui cum in historia dixisset, quâ nocte natus Alexander esset, eadem Dianæ Ephesiæ templum deflagravisse; adjunxit, minimè esse mirandum, quòd Diana, cùm in partu Olympiadis adesse voluisset, abfuisset domo. Quòd autem primùm parientes solverent zonas, *r* quas Dianæ dicabant; hinc *Solvizona* Diana dicta est.

p Catull. carm. ad Dian. 12.
q de Nat. 1.
r Theocr. Idyll. 17.

EGERIA à partu egerendo nominata.

PROSA, seu, & PRORSA, & POSTVERTA, seu Anteverta, aut, Porrima, à recti, perversique partûs potestate & nomine, difficilis partûs & præpostèri avertendi gratiâ, *f*

f Gell. l. & c. 19. Plut Ro. q. 52.

MANAGENETA, ortui atque partui præesse credita.

Ælian, vir. hist.

LATONA denique, de qua suo loco; cui Gallus Gallinaceus in amore fuisse creditur, quòd ei parienti adfuerit, & fœminis etiam nunc existimetur faciles partus efficere.

Auson. Idyll. 12.

NIXII DII, ab enitendo, seu pariendo; quòd nimirum, tum mater dolore defungi; tum fœtus, ab utero prodire niteretur.

DII

DII PRÆSIDES NASCENTIBUS.

NAscentibus ac natis præerant, t Dii ac Deæ, qui sequuntur. t Aug. 4. de Civ. c. 11.

JANUS, qui velut aperiret vitæ januam.

OPIS, quæ ferret opem in lucem produeuntibus.

NASCIO, seu u Natio Dea, à nascendo dicta. u Aug. 4. c. 8.

CUNIA, quæ Cunis præest, infantibusque jacentibus & dormientibus advigilat.

CARMENTA, quæ fata caneret nascenti puero.

VAGITANUS, seu Vaticanus, qui præsidebat vagienti.

LEVANA x, quæ de terra levaret infantem. Fuit enim solemnis hic ritus, in partu mulierum, ut ab obstetrice deponeretur in terra, infans natus, levandus statim à præsente patre; vel si abesset, ab alio, qui ejus vicem gereret. Unde locutio illa *tollere liberos*, pro *suscipere* & *habere*. x Varr. 2. de vita Pop. Rom.

RUMINA y, quæ mammam (*rumam* dixêre veteres) puero immulgeat. y Aug. 4. c. 8.

POTINA, quæ potionem præberet.

EDUCA z vel, Edusa, quæ comedentibus suppeditaret escam. z Aug. ib.

OSSILAGO, quæ ossa solidaret, & confirmaret corpusculum.

CARNA a, vel, Carnea, quæ internas corporis partes, salvas conservaret. Huic Deæ pultes fabacea, & larido, res sacra fieri solita, Kalendis Junii, quæ propterea *Fabaria* dicebantur. a Macrob. 1. Sat. c. 2.

NUNDINA b, à nono infantium die sic appellata; qui dies erat lustricus, quo scilicet masculis nomen imponebatur; at fœminis octavus erat. b Fest. v. *Lustrici*

STATILINUS, seu Statanus; qui stare pueros, & insistere pedibus doceret; aut tueretur, ne caderent.

FABULINUS, á fando; qui puellis fari incipientibus aderat.

PAVENTIA, quæ pavorem averteret.

DII PRÆSIDES ADULTIS.

ACtionibus variis præpositi fuere isti. *c*.

JUVENTUS, sive JUVENTAS, quæ post prætextam, excipit juvenilis ætatis exordia.

c Aug. 4. c. 11.

d Aug. 4. de Civ. c. 16.

AGENORIA *d*, quæ ad agendum excitaret.

STRENUA *e*, quæ homines impelleret, ut strenuè fortiterque gererent.

e Var. 4. de L. L.

STIMULA, quæ illos ad quodpiam facinus, inusitato more stimularet.

f Plut. Qu. Rom. 16.

HORTA *f*, quæ ad facta præclara hortaretur, Romæ Templum habuit semper apertum, alioque, nomine *Hora*, à quibusdam dicitur.

g Aug. 4. cap. 16.

QUIES *g*, quæ quietem faceret, extra urbem templum habuit.

h Id. ibid.

MURCIA, *h* quæ hominem murcidum, desidiosum ac torpentem redderet.

ADEONA & ABEONA, quæ abeundi & adeundi præberet facultatem.

VIBILIA, quæ aberrantes in viam reduceret.

i Id. c. 2.

VACUNA *i*, quæ vacantibus & otiosis, præficiebatur.

FESSONIA, quæ fessos recrearet ac reficeret.

k Varr. & Fest.

MEDITRINA, *k* à *medendo*, unde *Meditrinalia*, quibus diebus vinum recens & vetus, medicamenti causâ, degustabant.

VITULA, à vitulando, hoc est, lætitiâ gestiendo, dicta; quæ lætitiam, qua vitæ mitigantur incommoda, pareret.

VOLU-

VOLUPIA, à voluptate, quam creat.

ORBONA, quæ colebatur, ne orbos liberis faceret parentes.

PELLONIA, pellendorum hostium potens credebatur.

NUMERIA, quæ doceret numerare.

CAMOENA, quæ ad cantandum sollicitaret.

SENTIA, quæ sententias inspiraret. Fest. Jul. Modest.

ANGERONA, quæ angores animi discuteret; aut, quòd Lue quâdam, & anginæ morbo, quo absumebatur genus omne pecorum, populus Romanus, nuncupato huic Deæ voto, liberatus est.

HÆRES MARTEA, ab iis culta, qui aliquam hæreditatem adirent; fuisseque una ex Martis comitibus putabatur. Fest. Id. ibid.

STATA, seu Statua mater, in foro colebatur, ne lapides igne corrumperentur, qui plurimus ibi fiebat, nocturno tempore.

LAVERNA, quam fures precabantur, ut instituta sua, & consilia furandi & mentiendi fortunaret. Hinc *Laverniones* dicti, fures, quòd essent sub tutela Lavernæ Deæ; cujus simulacrum, Caput erat, reliquorum membrorum expers. Scalig. in Fest.

AVERRUNCUS DEUS, qui mala & infortunia averruncaret, id est, averteret, depelleret, propulsaret.

CONSUS, Consilia rebus gerendis idonea suggerens.

CATIUS, qui homines catos, acutos, ac solertes redderet.

VOLUMNUS, & VOLUMNA, à Volendo, quòd ejus beneficio, bona vellent.

HONORIUS, ut honorarentur.

AJUS LOCUTIUS; Cùm enim de nocte, vocem audisse se quidam de plebe dixisset, Gallos adventare, id, ut fit, propter authoris humilitatem spretum. Tum à Camillo expian-

dæ vocis nocturnæ, quæ nuncia cladis ante bellum Gallicum audita neglectaque esset, mentio illata; jussumque & templum in nova via, *Aji Locutio* fieri.

POENA, & BENEFICIUM, ab Æthiopibus, aut, ut aliis placet, ab Assyriis & Persis, in Diis numeratis; illa, quòd malorum; istud, quod bonorum Dii largitores esse crederentur.

DII

Corporis humani membris, afficti.

Serv. in Georg.

SIngulis Corporis partibus, singulos affinxere & affixere Deos; nam

Caput Jovi, pectus Neptuno, cinctum Marti, frontem Genio, supercilia Junoni, oculos Cupidini, aures Memoriæ, dextram Fidei, dorsum, & posticas partes Plutoni, renes Veneri, pedes Mercurio, genua Misericordiæ, talos ac plantas pedum Thetidi, digitos Minervæ consecrata esse putarunt.

Astrologi vero, hominum membra, signis cœlestibus sic assignant.

Firmic. & Manil. ap. Cyr. synt. 1.

Caput Arieti, cervicem Tauro, numeros Geminis, cor Cancro, pectus Leoni, ventrem Virgini, renes Libræ, inguina Scorpioni, femur Sagittario, genua Capricorno, tibias Aquario, pedes Piscibus.

Dii Funerum.

Eorum princeps LIBITINA Dea fuit, quam alii Venerem, alii Proserpinam fuisse ajunt, sic dictam à *libitu*, aut à *libidine*: in ejus templo vendebantur olim & locabantur quæ ad funus faciendum necessaria erant. Sed de his fusius libro singulari, de Funeribus, qui, Deo adspirante, propediem exiturus est.

PARS

PARS VI.

DE DIIS INDIGETIBUS, ET ADSCRIPTITIIS. SEU DE SEMIDEIS ET HEROIBUS.

VLTIMA, hæc est Panthei hujus Mythici regio, nobis obiter perlustranda oculis. In qua Deorum Indigetum, seu Semideorum, Heroumque imagines nativis coloribus exprimuntur. Porrò, qui sint

INDIGETES & *Adscriptitii* Dii, & cur sic appelati, in ipso Templi hujus aditu diximus. De Semideis & Heroibus sic habeto.

SEMIDEI, quos ἡμιθεοὶ Græci vocant, cœlestes animas, sacrasque mentes gerere credebantur, in humanis corporibus; & in generis humani salutem & commoda procreari: Ab Heroibus diversi, si Labeoni credimus, apud Augustinum, a è cujus opinione, a L. 10, c. 21.

HEROES, nomen ducunt à Junonis nomine, quæ Græcè, Ἥρα dicitur; & ferunt ex ipsius filiis unum, Heroem appellatum esse. Alii, *b* Heroïs nomen trahunt ex ipsa Terra, Ἥρα dicta; quòd ex ipsa natum sit hominum genus. *c* Alii ἀπὸ τοῦ ἔρωτος, *ab ipso Amore*, quòd Heroës, ex amore mutuo fœminarũ ac virorum progeniti sint; Vel, ut Hierocles Philosophus interpretatur, quòd Heroës ipsi, amore pleni essent. Alii sic appellatos volunt, παρὰ τὸ ἐρεῖν *dicere*; quòd Heroës facundi fuerint & dicendi facultate præstantes. Alii denique nomen illud derivant ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, *à virtute*, quâ fuere præditi. Sed jam seorsim inspiciamus obiter celeberrimos quosque, quorum facilè princeps extitit

b Interpr. Hom. ap. Gyr. synt. 1.

Plat. in Cratyl.

HERCULES.

HERCULEM loquor illum, Jovis & Alcmenæ filium; nam cùm multi ejusdem nominis recenseantur Hercules, huic uni, inquit Tullius, *d* reliquorum res gestæ tribuuntur. Ordiamur ab ejus ortu.

d 3. de Nat.

Ortus ejus.

Alcmena *e* Amphitryonis Thebanorum principis uxor, à Jove delusa, concepit Herculem. Cùm enim Jupiter, Amphitryonem, tum absentem, sumptâ ipsius exteriori specie, habituque, se mentitus esset, venissetque Alcmenæ domum, quasi redux ab itinere; nullo negotio inducta in fraudem mulier, fallacem Deum excepit hospitio lectoque, tanquam maritum; & filium ex eo peperit, eâ membrorum mole, eâ virium firmitate, ac robore corporis, ut in eo generando, tres in unam noctes coactas perpetuare, necesse Jupiter habuerit. Prægnans jam

e Vid. Nat Com. Lil. Gyr.

erat



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0295
DFG

erat Aclmena ante hoc adulterium, & ab Amphitryone conceperat masculam prolem, quam eodem partu, cum Hercule, in lucem edidit, & Iphiclum nominavit. Fuit autem Iphiclus incredibili pedum celeritate præditus; IPHICLUS.

Nam f *super extremas segetum currebat aristas,* f Orph. in hymn.

Nec siccos fructus, lædebat pondere plantæ.

Porrò, de Jovis adulterio, Juno conjux facta certior, tanto ardere cœpit odio in Herculem, ut omnes zelotypiæ machinas, ad illius exitium intenderit. Primùm extorsit à Jove edictum, quod in Herculis perniciem convertere conata est. Siquidem quo tempore illum gerebat in alvo parens, eodem etiam Eurystheus, Stheneli Mycenarum Regis filius, ferebatur in utero materno. Cùm autem Jupiter prædixisset fore, ut, qui prodiisset in lucem prior, in posteriorem exerceret imperium; Junonis operâ, septimester Eurystheus, accelerato partu, anteivit Herculis, ortum, itaque jus obtinuit & potestatem in Herculem. Deinde duos angues immisit eadem Juno in eundem, in cunis adhuc vagientem, nocte ab ejus partu altera, sed in cassum: utrumque enim fortissimus puśio corripiens, elisit & extinxit, ut g Poëta canit, g Ovid. 1. de art.

Tene ferunt geminos pressisse tenaciter angues,

Cum tener in cunis, jam Jove dignus eras?

Tandem *h* Palladis ope, puello inclyto reconciliata Juno admovit ubera; sed cùm supra ætatem, avidiùs infans lac exugeret, & mammam asperiùs succuteret, ab Junone depulsus est, non sine aliqua lactis jactura; imò verò sine jactura. Nam quod in cœlum defluxit, viam lacteam, quam Græci *Galaxiam* vocant, fecisse dicitur: Quod autem in terram effusum est, in Liliorum flores, progerminavit, quæ ideo ab aliquibus, *Junioniæ Rosæ* appellantur. h Enmolp. l. de mysteri. Lil. Gyr.

Herculis Nomina.

Duplex habuit nomen Hercules, cognomina sine numero. ALCIDES primùm à parentibus dictus est, ἀπὸ τῆς ἀλκῆς à robore immenso, quo valuit; cæterisque mortalibus antecelluit. Postea nuncupatus HERCULES, ducto ab ipsa Junone nomine, quæ Ἥρα dicitus, & κλέος, gloria; quòd nimirum, ipsius virtutem ac gloriam illustravit Junonis odium & injuria; tantóque gloriosiùs illustravit, quantò periculis illum majoribus objecit, & pluribus, ejus fortitudinem ac patientiam, laboribus exercuit.

Cognomina consultus omitto, quæ vel à locis, quæ celebravit, vel à rebus, quas cum laude gessit traxisse constat. Res illas præclarè gestas strictim enumero; quas, à laboribus infinitis, quos exantlavit, vulgò vocant,

Labores Herculis.

Fuerat, ut diximus, Eurystheo subjectus Hercules, edicto Jovis, & Junonis malevolentia, iterumque Apollinis Delphici oraculo monitus ac persuasus, ut Eurystheo se subderet, ejus faceret jussa, & duodecim, quos ille imperaturus erat, labores libens exhauriret. Obsecutus fatis Hercules, ad illum se confert, & servitutem servit annos duodecim: & imperia difficillima, acerbissimáque, pari labore ac felicitate capessit & perficit. Sunt, qui dicant, non coactum, sponte sese submisisse Eurystheo Herculem, suiq; amoris in illum testandi causa, adiisse alacriter labores imperatos. Etsi autem innumeros pertulerit, duodecim tamen passim referuntur, his duodecim carminibus *k* comprehensi, è Græco in Latinum versis:

k Quint. Smyrneus

Prima

Prima Cleonei tolerata ærumna Leonis,
Proxima Lernæam, ferro & face contudit Hydram.
Mox Erymantheum vis tertia perculit Aprum.
Æripedis quartò tulit aurea cornua Cervi.
Stymphalidas pepulit volucres discrimine quinto.
Threïciam sexto spoliavit Amazona baltheo.
Septima in Augiæ stabulis impensa laboris.
Octava expulso numeratur adorea Tauro.
In Diomedeis victor jam nona quadrigis.
Geryone extincto decimam dat Iberia palmam.
Undecimum Mala Hesperidum distracta triumphum.
Cerberus extremi suprema est meta laboris.

Clariùs Labores illos paucis explico.

I. Labor Herculis in Leone Nemæo trucidando l versatus est. Erat hic Leo, à Lunæ circulo delapsus, ut mentiuntur aliqui, Nemæam Sylvam, (qui locus, *Cleone* etiam dictus, unde *Leo Cleoneus*) infestam habens, cumque nullo lædi ferro posset, illum Hercules discerpsit unguibus, & detractam pellem, pro scuto ac thorace, deinceps gestavit. l Eurip. in Herc. in LEO.

II. Hydram, in Lerna, (Lacus est Argivi agri) capitibus septem, (novem, atque etiam quinquaginta, alii numerant) horribilem, sic, ut uno amputato, aliud in ejus locum statim pullularet, nisi fisteretur igne sanguis, à vulnere fluens; Jolâi opera, accensos torres è vicina sylva subministrantis, interfecit. Erat Jolâus Iphicli filius, qui ad decrepitam ætatem cum pervenisset, Herculis precibus, *m* juventuti restitutus est. HYDRA. *Jolaus.* m Ovid 9 Metam.

III. Aprum in Erymantho Arcadiæ monte natum, magnitudine ac ferocitate terribilem, vinctum duxit ad Eurysteum. APER.

IV.

CERVA. IV. Cervam, æreos habentem pedes, cornuaque aurea, quam nemo cursu posset comprehendere, aut vulnerare auderet, quòd Dianæ sacra esset, adducere Mycenas jussus, annum totum currendo insecutus & assecutus tandem est, & captam super humeros extulit.

STYMPHALIDES. V. Stymphalides aves, à lacu Stymphalo sic dictas, humanis carnibus vesci solitas, partim fugavit, partim interemit.

AMAZONES. VI. Profligato Amazonum exercitu, Baltheum, quo nullus erat in orbe pulchrior, eripuit Hippolytæ earum Reginæ.

AVGIAS. VII. Augiæ stabulum, in quo tria milliam boum, per annos triginta stabulata fuerant, nunquam egesto fimo, uno die, inducto flumine repurgavit. Hinc proverbio locus, *Augiæ stabulum*, cùm rem significare volumus, laboris & negotii maximi.

TAURUS VIII. Taurum ingentem, Cretæ insulæ damna inferentem innumera, domuit, vinctumque perduxit ad Eurysteum.

DIOMEDES. IX. Diomédem, crudelissimum Thraciæ Tyrannum, qui suos equos pascebat hospitum carnibus, devicit, victumque ipsiusmet equis dedit in pabulum.

GERYON X. Geryonem, Hispaniæ Regem tricorporem, bello superavit, (illum jam vidimus in inferis) puniceos ejus boves, qui vorarent hospites, cane bicipiti, & Dracone septem habente capita, gregis custodibus occisis, abegit, abduxitque in Italiam.

AUREA MALA. XI. Aurea mala, in Hesperidum hortis, interempto prius Dracone pervigili, qui ea servabat, abstulit. Indeque fortè dictus Hercules *Melius*, (nam μῆλον, malum se pomum significat) unde mala in ejus sacris offerebant; quòd in Bœotia, cùm ei taurum quidam, (ovem alii fuisse, ajunt, sed perinde est) immolare vellet, ipso sacrificii tempore desiderata esset victima; pomum sum-

pſiſſe ferunt, cui feſtuas quatuor inſeruit, quæ pedum inſtar eſſent; duas à fronte, loca cornuum: & unam à tergo, pro cauda, ſicque ſacrificatum eſſe Herculi.

XII. Ultimum, ab Euryſtheo, juſſus eſt penetrare ad inferos, Cerberumq; canem adducere; quod ſine mora præſtitit. Vinctum enim triplici catena canem tricipitem, fruſtra oblatrantem retraxit ad ſuperos. Simul autem lucem aſpexit Cerberus, vomuiſſe dicitur, & ex ejus vomitu natum Aconitum, herbam lethiferam. Hi ſunt duodecim labores Herculis.

PAL. Liceat, oro, mihi, te interpellare tantiſper; jam diu enim teneo ſilentium. Subit animum dubitatio duplex; Primum, quòd ſpectat ad Herculis ortum; miror, Junonem prohibere non potuiſſe, ne naſceretur; Alterum, quod ad ejus Labores pertinet, pluſquàm duodecim fuiſſe à quibusdam enumeratos, pro certo habeo.

MYST. Gratiſſimum facis, quod mihi opportunâ iſtâ tuâ interpellatione, ut vocas, reducis in memoriam, quod exciderat, & anſam præbes exponendi, quod prætermiſſum non oportuit. Sic igitur habeto, fuiſſe quidem Junoni in animo, fœtum vel abigere, vel elidere in ipſo partu, ideoque inſidias ſtruxiſſe prægnanti; ſed præverit Galanthis, Alcmenæ ancilla, & Junoni verba dedit, falsò referens, peperiſſe Alcmenam puerum: quod cum Juno crederet, abjectâ ſpe quidquam efficiendi, abiit; & digreſſâ illâ, Alcmena Herculem enixa eſt ſine labore. Galanthis, in animal ſui nominis, muſtelam, quæ γαλὲη dicitur, mutata eſt; addictaque huic ſupplicio, ut quæ mendacium ore peperiſſet, ore fœtus pareret ſuos, non ſine dolore. *Galanthis.* Ovid. 9. Metam.

De Laboribus autem Herculeis, fateor, longè

gè plures fuisse, quàm duodecim (quanquam illi potissimum vocari soleant Labores Herculis) nam, ut inchoatum jam numerum persequamur,

ANTÆUS. XIII. Antæum Gigantem, magnitudine corporis, cubitos sexagita quatuor excedente, in omnes peregrinos inhumanum, eos quippe secum luctari cogens suffocabat, semel, iterum, ac tertiò, prostravit Hercules. Verùm, cùm ea esset homini vis, ut quoties terram attingeret abjectus, toties validior resiliret ac surgeret; id ubi sensit Hercules, medium arreptum, sublimem è terra tamdiu sustinuit, donec disruptus expiravit.

BUSIRIS. XIV. Busîrim, Neptuni filium, qui advenas, quoscumque comprehendere poterat, Neptuno patri immolaret, mactavit ipse vicissim super iisdem aris, unà cum filio.

ALBION & BERGION. Cato in Orig. Mela l. 2 6 Georg. XV. Albionem & Bergionem, inter suum impedire volentes trucidavit, cùm autem in ea pugna, tela illum deficerent, precatus Jovem, dicitur, lapidum imbrem obtinuisse, quibus hostes fudit fugavitque. Id ajunt contigisse in Gallia Norbonensi, qui locus etiamnum *Campus lapideus* vocatur.

COELUM. XVI. Cœlum, Atlante jam fesso & succumbente oneri, humeris excepit ac tulit.

CACUS. XVII. Cacum, Latronem igniyomum, oppressit ac strangulavit.

AQUILA. XVIII. Aquilam, Promethei ad saxum alligati jecur exedentem, sagitta trajecit.

THEODAMAS. XIX. Theodamantem, quòd ei cibum denegasset, occidit, illiusque filium Hylam; secum abduxit, & charissimum habuit.

HESIONE. XX. Hesionem, Laomedontis *m* Trojæ Regis filiam, Ceto, marino monstro, expositam, hac ratione liberavit. Aggerem opere subitario excitasse fertur, *n* armatusque constitisse ad fauces aggeris: Quò, cum Cetus absorpturus Hesionem,

m Ovid. 11. Met.

n Andræas Tenedi, in navig. Propont.

sionem, hianti ore accessisset, in ejus guttur insiluit Hercules, & delapsus in ventrem, triduum posuit in lacerando ejus utero; quo tandem disrupto, emersit salvus, amissa solùm cæsarie. Deinde Laomedonte promissis non stante, & recusante pactam mercedem pendere, Trojam expugnavit ac diripuit; Hesionem verò Telamoni, qui primus murum ascenderat, in prædæ partem concessit.

ACHELOUS.

XXI. Acheloum, Oceani ac Terræ filium, pro Deianaira (quam uterque sparsam sibi desponderat) singulari certamine superavit, quamvis se ille in serpentem primò, deinde in Taurum vertisset. Evulso enim sibi ab Hercule, cornu altero, cedere coactus est; proque suo recuperando cornu, Amalthææ cornu dedit. Fuit revera Achelòus Græciæ fluvius, serpentis instar, erratico lapsu & sinuoso cursu undas vehens, & tanquam Taurus (Poëtis solemne, Tauris similes effingere fluvios) sulcans agros, Tauri mugitum imitante aquarum strepitu; quem cum exundantem coërcuisset aggeribus Hercules, & findentem se in duplex quasi cornu, coëgisset in unum alveum; effracto cornu, dicitur accepisse Amalthææ, seu Copiæ cornu, quia illo compresso flumine, magna frugum omnis generis abundantia subsecuta est.

DEJANIRA. NESSUS Centaurus.

Fuit autem Deïanira, Oenei Ætoliæ Regis filia; quam cum uxorem duceret Hercules, & tranandum ipsi esset flumen; Nessus Centaurus, operam suam ultro obtulit, ad transvehendam Deïaniram. Itaque fluvium transmittit natando Hercules; quod dum facit, advertit in adversa ripa Nessum, Deïaniræ vim inferre parantem; indignatusque monstri petulantiâ, sagittâ ei vitam eripit. Moriens Nessus, vestem suo cruore tinctam Deïaniræ dono dat, asserens vim inesse avertendi maritum, ab illicito amore mulierum, si veste illâ induatur. Quid plura? Mulier

cre-

credula, munus accepit, & paulò pòst, illius vim, contrà quàm putabat, experta est. Nam invictum cùm se præbuisset, infractúmque tot tantisque laboribus Hercules, illecebris fractus, & voluptate victus, Omphalæ Lydorum Regi-
OMPHALE. næ, ob amorem servivit, clava, qua nunquam non instructus erat, in colum mutatâ, & sagittis
JOLE. in fusum versis: Et Jolen, Euryti Oechaliæ Regis filiam, usque adeò deperit, ut propter illam funditùs perierit miser. Etenim Deïanira uxor, id ægrè ferens, avocatura virum ab amore pellicis, vestem illam, de qua diximus, mittit; quam ille sacrificaturus cùm induisset, in furorem actus, se combussit in extructa pyra, & post mortem inter Deos adscriptus est.

JASON.

JASON, Æsonis Thessaliæ Regis, ex Alciméde filius, post fata patris, regnum hæreditario sibi jure debitum, à Pelia patruo, (qui illud administrabat, interea dum puer Jason adolesceret) repetens, ad Colchicam expeditionem incitatus & missus est; specie quidem inde asportandi velleris aurei; re autem ipsâ, ut itineris labore pressus occumberet.

PAL. Quod erat vellus illud aureum?

PHRYXUS. *MYST.* Pellis erat arietis, quam alii candidam, alii purpuream fuisse scribunt. Huic Arietem Phryxus Athamantis filius, à Nephele matre olim acceptum, sibi malè metuens ab
HELLE. Inûs novercæ insidiis, unà cum sorore Helle inscenderat, fugæ saluti consulens. At Pontum (maris fretum) quâ parte augustior est, dum transmittunt, ariete vecti; Helle undarum agitatione perterrefacta, decidit in mare, quod ab ipsa Helle, dictus deinceps *Hellespontus* est. Phryxus verò transvectus feliciter, ad Æætam Colchorum Regem confugit: (Colchis, regio est Asiæ

juxta

juxta Pontum.) A quo benignè acceptus, Jovi, aut Marti Arietem immolavit suum, inter astra relatum postea. Ejus verò pellem seu vellus, in luco Martis suspendit ab arbore. (Lucus, locus est sacer, arboribus consitus.) Hoc *vellus*, quòd esset auro concolor, *aureum* vocatum est; ipsum que velut rem sacram, divinumque pignus, fatalesque reliquias, *Tauri* custodiebant, ignem naribus efflantes, & Draco immanis ac pervigil. VELLUS AUREUM.

PALÆOPHILUS. Illudne vellus Jason abstulit?

MYSTAGOGUS Etiam. Cùm enim Navem, cui nomen *Argos* ab ejus opifice, qui Argus dicebatur, Jason cupidine laudis incensus, quadraginta novem lectissimis nobilissimisque comitibus stipatus conscendisset, (qui ab eadem nave, *Argonautæ* dicti sunt, in quibus eminebant præ cæteris, Hercules, Orpheus, Castor & Pollux) divertit ex itinere ad Hypsiphilem Lemni Reginam, quæ hospitio lectoque illum excipiens, gemellos concepit peperitque. Tum deinde, longa navigatione, & magnis perfunctus periculis, appellit in Colchidem Jason; Vellus aureum ab Æta Rege flagitat. Respondet Rex, eâ conditione concessurum, ut illud auferat, si Tauros ignivomos & æripedes prius domet, mittatque sub jugum; & Draconis occisi dentes, terræ aratro subactæ mandet; ac demùm progerminantem, è semente illa, armatorum militum segetem ferro demetat deleatque. Conditionem coactus Jason accipere, ab aperto liberantur exitio, Medeæ Regis filiæ, Jasonis amore captæ, ope atque opera. Ejus enim consilia secutus Jason, Tauros subegit, Draconem sopivit, Vellus abstulit, noctuque fugit cum Medea sibi conjuncta matrimonio. ARGONAUTÆ. MEDEA.

PAL. Quid hic Æta Rex?

MYST. Fugientes insecutus est: quem Medea

ABSYRTUS. ut remoraretur, Absyrtum fratrem (eum ad id viæ comitem assumpserat) frustatim discerpsit, sparsitque per agros, lacerata membra; quibus colligendis, pater ab insequendo retardatus est. Jason autem in patriam revertitur, cùm cæteris ÆSON. Argonautis. Ubi Medea, Æsonem Jasonis patrem, (ut ajunt quidam, nam alii jam fato functum scribunt) senio confectum, veneficiis (fuit enim veneficiorum peritissima) restituit in pristinum juventutis florem. Quo mirabili facinore permotas Peliæ filias, idemque beneficium parenti decreptio apprecantes, adduxit facile, ut illum suis ipsæ manibus, per pietatem sanè impiam jugularent, spe inaniductas ac delusas, futurum ut Æsonis exemplo juvenescerent, in vitam revocatus. Porrò Jason Medeam aversatus, facto divortio, Creüsam, Creontis Corinthiorum Regis filiam duxit uxorem. Medea viri ultura perfidiam, filios primùm geminos ab Jasone susceptos, contrucidat in oculis patris; Tum ignem in scriniolo clausum muneris loco ad Creüsam mittit, quo ipsa cum tota regia exusta est. Denique volatu magico trivenefica Athenas se recepit. Sunt qui dicant, rediisse postmodum in gratiam cum Jasone, sed de hoc satis, ad alium Herôa transeamus.

THESEUS.

PALÆOPHILUS. Quos habuit parentes Theseus?

MYSTAGOGUS. Æthram, & Ægeum, ÆGEUS. MINOS. Athenarum Regem; quo imperante, Minos, Cretensium Rex, cædem filii sui persecuturus, Athenienfibus bellum tulit, (illum enim Athenienses per summam invidiam ac scelus occiderant, quòd in certamine omnibus præriperet palmam) victisque hanc imposuit durissimam legem, ut quotannis septem è primaria nobilitate

tate juvenes, in Cretam mitterentur, à Minotauro monstro devorandi. Mittebantur autem sortitò delecti; ex quo factum, ut Theseus quarta sortitione addictus sit luctuoso fato, acerbissimo parentis dolore. Navem igitur, velis prætentam nigris, cæterisq; armamentis instructam ejusdem coloris funebris, conscendit, à patre monitus, ut, si quo fortè numine propitio, discrimen evaderet in patriam revertens, mutaret nigra vela candidis, quo posset ex longinquo, felicitatem occupare suam.

PAL. Qui verò fuit navigationis exitus?

MYST. Theseo quidem felix; at Ægeo parenti infaustissimus accidit. Etenim Cretam simul ac pervenit Theseus, Labyrintho inclusus, Minotaurum occidit, & Ariadnes beneficio evasit ab inextricabili carcere; Athenasque, eadem, qua venerat, ferali nave repetiit, moniti paterni immemor. Ergò, è specula prospectans navem Ægeus, atro colore funestam, periisse filium ratus, se dedit in mare præcipitem; quod de ipsius nomen, *Ægæum* posthac dictum fuit.

ARIADNE.

PAL. Quænam illa fuit Ariadne?

MYST. Ipsius Minois Cretensium Regis filia, quæ Theseum pro ardenti amore, quo erga illum ferebatur, filo extricavit è labyrintho; & redeuntem in patriam secuta est usque ad Naxum insulam; ubi à perfido ingratoque Theseo derelicta est. At miserrimæ puellæ misertus Liber Pater, uxorem sibi copulavit, & coronam dedit septem stellis illuminatam, quam ille à Venere acceperat, & *Gnossia*, Corona dicitur, (ab ipsa nimirum Ariadne, quæ *Gnossis* cognominata est, ab urbe quadam Cretæ, cui Gnossi nomen) inter astra, post Ariadnæ mortem, collocata. Postremo, occisa creditur Ariadne, ab Diana, quod virginitatem non coluisset. o Prop. l. 3. Eleg. 17

PAL. Quæ facinora patravit Theseus?

MYST. Adeo præclara, ut de pluribus, qui feruntur, Herculibus, unus existimatus sit. Nam. 1. Minotaurum peremit. 2. Centauros debellavit. 3. Thebanos vicit. 4. Amázonas edomuit. 5. Penetravit ad inferos & ad superos remeavit.

PAL. Quâ occasione Theseus penetravit ad inferos?

MYST. Ob fœdus initum cum Pirithoo, Ixionis ex legitima uxore filio, quo familiariter utebatur. Convenerat enim inter illos, ne sponsas ducerent, nisi Jove natas. Cum autem Theseus, Helenam, Jovis & Ledæ filiam, rapuisset, nullaque alia supereſſet in terris filia Jovis, descenderunt uterque simul ad inferos, Proserpinæ ab Plutone marito abducendæ causâ. Verùm Pirithous à Cerbero cane, in ipso aditu laniatus est, & Theseus, vivus in Ditis potestatem pervenit, & in vincula conjectus est, tamdiuque ibi mansit, donec Hercules ab Eurystheo ad inferos missus, eum liberavit.

PAL. Quæ fuêre Amázones illæ, quas memorâsti modò?

AMAZONES.

MYST. Mulieres fuêre bellicosæ, animo virili fœminæ, eam Scythiæ partem incolentes, quæ fluvio Tanai alluitur. Nomen Amazonum traxere à μαζὸς, *mamma*, & particulâ privativâ, α, hoc est, *sine mamma*, quòd scilicet alterâ mammillâ carerent. Vel, ab ἅμα, *simul*, & ζῆν, *vivere*, quod unâ & in commune vitam sine viris agerent. Populus enim erat fœminarum, qui tamen ne periret, uniusque duntaxat ætatis res esset, cum finitimarum gentium viris congredientes, genus propagabant; eo discrimine, ut prolem masculam, statim ab ipso partu perimerent; puellas verò educarent, mammillam ipsis præcidentes, & inurentes dexteram, quò expeditiùs uterentur dextro brachio, jaculandis sagittis, peltisque vibrandis in hostes. Jamque



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0309
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0310
DFG

que magnam occupârant Asiæ partem crebris excursionibus, cùm Hercules Theseo comite, eas bello aggressus profligavit, captâ illarum Reginâ Hippólite, quam Theseo dedit uxorem.

t Hippolytum ex ea Theseus suscepit, qui, cùm ætate ac formâ florens, venationi addictissimus, & castimoniæ cultor eximius, turpiter amaretur à Phædra noverca *p* (erat Phædra Minois filia, quam Theseus, ejus sorori Ariadnæ prætulerat) & per absentiam patris, nequicquam sollicitatus esset ad flagitium; repulsam passa mulier, innocentem privignum accusavit apud virum reducem, de oblato sibi stupro. Aures præbet nefariæ conjugi, & fidem addit scelerato mendacio Theseus: Hippolytus id subodoratus, conscenso curru fugam arripit; dumque fugit, exterritis equis occursu Phocarum, seu vitulorum marinorum, curru exturbatur, & loris implicitus, per nemoris avia raptatur, miseréque discerpitur. Eum postea Æsculapius, Dianæ rogatu, vitæ restituit. At ille, relictâ Græciâ, in Italiam venit; mutatóque nomine, *Virbius* dici voluit, quod *vir*, *bis* fuisset. Phædra verò, conscientiæ stimulis agitata, se laqueo vita privavit. At ipse Theseus, aliquantò post, patriâ pulsus, vitam factis illustrem, obscuro fine terminavit.

HIPPOLYTUS.

PHÆDRA.

p Ovid. in Epid. Phædr.

CASTOR ET POLLUX.

PAL. Quî vocas geminos illos Juvenes formâ præclarissimos, *a* equis albis insidentes?

a Pindar. in Pyth.

MYST. Fratres sunt gemini Castor & Pollux, Jovis & Ledæ filii.

PAL. Quæ Leda illa fuit?

LEDA.

MYST. Uxor Tyndari Laconiæ Regis; quam cum amaret Jupiter, nec potiri posset amoribus,

in Cygnum mutatus, (qui deinde inter astra *b* relatus est,) mutuum Ledæ amorem, sibi suavitate cantûs conciliavit, & in ejus sinum, irruentis aquilæ velut effugiturus impetum, tanquam in asylum devolans, illam compressit jam à marito gravidam. Ex eo congressu Leda, duo deinde ova peperit; quæ paulò pòst excluſa, effudêre in lucem hos gemnos fratres.

b Man il. 1 Astron.

PAL. Prodiêre videlicet, è suo quisque ovo; numquid?

MYST. Ita sanè, sed non soli prodiere. Ex ovo quippe, quod à Jove Leda conceperat, Pollux & Helena excluſi sunt; qui idcircò immortales erant, quòd divino sati essent semine. Ex ovo autem altero, quod erat à Tyndaro conjuge, *c* Castor & Clytemnestra, mortales, quia parente mortali progeniti fuerant. Ambo tamen, vulgò *Tyndaridæ* dicuntur à Poëtis, ut etiam Helena, *Tyndaris*, ab ipso Tyndaro.

c Horat. Sat. 1.

PAL. Quid ab illis gestum est memoria dignum?

MYST. Uterque cum Jasone, ad expeditionem Colchicam sunt profecti; unde reversi, raptam à Theseo sororem Helenam reduxerunt; subactis, qui pro illo pugnabant, Athenienſibus, à quibus, ob clementiam & humanitatem, quam erga victos adhibuêre, Διόσκουροι, (id est, Jovis filii) & Servatores appellati sunt; Diique malorum depulsores habiti; unde Agni candidi, in eorum aris immolabantur. Cæterum, licet eodem partu, eodemque ovo, ut censuêre quidam, nati sint, varia tamen utriusque studia fuêre, ut ait Horatius:

Homer. in hymn.

2. Serm.

Castor gaudet equis; Ovo prognatus eodem,
Pugnis: quod capitum vivunt, totidem studiorum
Millia.

PAL. Quo vitam exitu clausêre?

MYST. Castor, utpote mortalis, à Lynceo cum occi-

occisus esset, Pollux, ejus frater; à Jove petiisse dicitur, ut Castorem in vitam revocatũ, immortalitate donaret: Quod cùm impetrare non potuisset, hoc saltem abstulit, sibi ut liceret immortalitatem cum illo partiri suam. Indéque factum, ut alternis diebus deinceps viverent, vel, ut alii malunt, alternis semestribus. Ita enim Poëta. d

d Virg. 6. Æn.

Si fratrem Pollux alternâ morte redemit,
Itque, reditque viam.

Ab ipsius autem Castoris morte, genus quoddam saltationis, enoplia, in ejus honorem institutum est, quam armati juvenes peragebant, Pyrrhichæ non absimilis; quod *Castoreum e tripudium* dictum est. e Plin. l. 7. c. 5. 7. ap. Nat. Com.

Ambo demum translati in cœlum, & mutati in sydera, *Gemini* etiam nunc appellantur; quorum alter dum oritur, alter occidit. Hæc porro sydera, fausta navigantibus & salutaria creduntur *f*; quòd olim sæva tempestas Argonautas, cum invasisset, flammæ geminæ, Castoris & Pollucis adlambere capita visæ sunt; ex quo mira tranquillitas est subsecuta; indeque cœptum est credi, inesse Juvenibus illis, quidpiam humano majus. Quoties autem ignes illi apparerent postea, Castor & Pollux esse putabantur. Quòd si una tantum compareat flamma, quam vocant *Helenam*; exitium nautis certum portendi asserunt. f Horat. 1. Carm.

Utriq; templum Romæ insigne dedicatum erat in foro, quod Romanis adversùs Latinos periculosissimo in prælio, suppetias tulisse crederentur, *g* expediti in equis albis. Hinc *Ædaster*, adverbium jurandi, quasi per ædem Castoris; quo solæ mulieres utebantur; quemadmodum viri soli, per Herculem jurabant his verbis; *Hercule* & *Hercle*, *Hercules*, *Mehercules*, & *Mehercule*. *Ædepol* verò, hoc est, per ædem Pollucis, erat jusjurandum tam viris, quàm mulieribus commune. g Rom. l. 6. h Passim. ap. Ter. Cic. Plaut. &c.

PAL. Quid autem Clytemnestrâ factum?

CLYTEMNESTRA. ORESTES. i Soph in Elect. Eurip. in Oreſt.

MYST. AGOG. Clytemnestra nupsit Agamemnoni, quam ab expugnatione Trojæ reducem, Ægysthi adulteri operâ, ex insidiis interfecit, idem Orestî filio factura, nisi eum Electra soror eripuisset certæ neci, eum clàm ablegans ad Strophium Phocensium principem. Ibi duodecim annos demoratus, in patriam rddiit, & Clytemnestram cum Ægystho adultero interemit. Pyrrhum quoque occidit in Apollinis templo, propterea quòd Hermionem Menelâi filiam, sibi priùs desponsatam rapuisset. Ob quæ scelera, furiis agitatus est, quibus non antepurgari potuit, quàm ad aram Dianæ Tauricæ, illuc à Pylade perductus, perpetrata facinora expiarit.

PYLADES.

Fuit Pylades, Orestis amicus, perpetuusque comes, periculorumque omnium socius, cum quo amicitiam tam sanctè coluit, ut alter pro altero mori non recusaret.

Cic. de amic. Eurip. in Iphig. in Taur.

PAL Quæ fuit illa Diana Taurica?

MYST. Quæ colebatur in Taurica Chersonêso (Chersonêsus, seu Cherronésus, peninsula est, à Tauris Scythiæ Europææ populis, *Taurica* dicta) Colebatur autem Diana Taurica humanis victimis; ejusque Sacerdos, per id tempus, quo in ejus templum adductus est Orestes, erat Iphigenia, ipsiusmet Orestis soror, Agamemnonis filia, hac occasione, Dianæ Tauricæ facta Sacerdos.

AGAMEMNON. IPHIGENIA

Agamemnon Argivorum Rex, is, quem Græci communi consensu, ad Trojanam expeditionem, Imperatorem delegerant, & quem, ut dixi modò, confecto illo bello, captaque Troja domum reducem, Clytemnestra conjux necavit; cum in Aulide Cervum Dianæ imprudens occidisset, irata Dea, Græcis Trojam ad navigantibus malaciam induxit permolestam, sic, ut ventis destitutæ naves, eodem hærerent affixæ loco.

Vates

Vates adhibéntur; Reſpondent, Agamemnonis ſanguine placandos ventos & Dianam. Ilicet miſſus Ulyſſes, Iphigeniam Agamemnonis filiam, aſtu à matre abducit, Achilli eam nupturam ſimulans. Abducta ſiſtitur ad aram immolanda; ſed Dea illius miſerta, Cervam pro ea ſuppoſuit; Virginem autem, in Tauricam regionem tranſtulit; ubi à Thoante Rege, ejusdem Deæ ſacris præfecta eſt, quæ humano ſanguine fieri ſolebant. Illuc autem, cum Oreſtes mactandus, fuiſſet pertractus ab incolis, à ſorore agnitus & liberatus eſt, occiſo Thoante, & ablato Dianæ ſimulacro, quod in lignorum faſce abſconderat; ex quo *Faſcelidem*, illam appellarunt.

PERSEUS.

PERSEUS parentes habuit Jovem & Danaën, quam ejus pater Acriſius, *m* (quod accepiſſet ex oraculo, ſe interfectum iri à nepote) turre incluſit munitiſſimâ, ne cuiquam viro ad eam aditus pateret. Verùm, quid amori impervium? Jupiter in imbrem aureum mutatus, per tegulas decidit in ſinum Danaës, (quis enim pluviæ tam pretioſæ non aperiat ſinum?) eamque tum auro gravem, tum fœtu gravidam effecit. Rem venuſtè narrat *n* Horatius.

DANAE. m Pauſ. in Corinth.

Inſulam Danaën turris ahenea,
Robuſtæque fores, & vigilum canum
Triſtes excubiæ munierant ſatis,
Nocturnis ab adulteris.
Si non Acriſium, virginis abditæ
Cuſtodem pavidum, Jupiter & Venus
Riſiſſent: fore enim tutum iter & patens,
Converſo in pretium Deo.

n Lib. 1. carm.

At ubi parenti nunciatum eſt, filiam ſuſcepiſſe prolem, arcæ incluſam cum prole parentem, in mare jubet projici. Sed à piſcatore quodam

extracta, Pilumno Regi data est, qui Danaën sibi junxit uxorem, educavitque ejus filium, nomine Perseum.

Hic simul adolevit, talaribus à Mercurio donatus, & falce adamantinâ, insuperque Plutonis galeâ instructus, & Minervæ ægide, seu scuto æreo, ita splendenti, ut instar speculi redderet objectorum imagines, primùm, Andrómedam, Cephei Æthiopum Regis filiam, ob matris Cassiopes, seu Cassiopeæ superbiam, cùm decore formæ Nymphis se præferret, ad saxum ab iisdem Nymphis alligatam, & marino monstro expositam liberavit, & uxorem duxit. *o* Inter astra deinde, *p* mater & filia cum genero relatæ sunt; Tum expeditionem suscepit adversus Gorgonas, (de quibus suo loco diximus) congressusq; cum Medusa illarum principe, vipereis capillis formidabili, illius caput in scuto suo adversus intuens, Pallade manum dirigente amputavit; quod deinde in ægide adligatum abstulit, & ad illius aspectum innumeros in saxa convertit. Præcæteris autem Atlantem Mauritaniæ Regem, quòd ipsum exclusisset hospitio, ejusdem capitis objectu, in montem sui nominis commutavit. Porrò, è sanguine, qui ex cæso capite defluxit in terram, natus est Pegasus equus, ita dictus ἀπὸ τῆς πηγῆς, id est, à fonte, quod juxta Oceani fontes natum putent. *q* Hinc, cum in Helicona montem evolasset, (erat enim alatus) saxum ungulâ feriens, aperuit fontem, qui *Hippocréne* Græcè, id est, fons equinus, Latinè *Caballinus* dicitur. Postea verò, cum ex Piréne, Corinthio fonte biberet, à Bellerophonte, qui id temporis, expeditionem parabat in Chimæram, captus est.

ANDROMEDE. CASSIOPE.

o Propert. l. 2.

p Hygin. de sig. cœl. l. 2.

MEDUSA.

PEGASUS.

q Strab. lib. 8.

Fuit Bellérophon, seu Bellerophontes (sic vocatus à Bellero quodam Corinthiorum principe, quem de medio sustulit, cùm antea Hippopòus diceretur, ab equis fræno regendis, quam artem

artem primus docuisse fertur.) fuit inquam Glauci Regis Ephyræ filius, inclyto decore conspicuus, & virtutis maximæ. Hic cùm Stenoboeam Præti uxorem, de stupro illum interpellantem, constanter repulisset, repulsâ & furore amens mulier, apud virum accusat innocentem hospitem. Noluit Prætus, illius sanguine violare jura hospitii, sed eum, ad Jobatem socerum, datis ad id codicillis, in Lyciam misit. Lectis literis Jobates, in ultionem criminis, ad Solymos domandos Bellerophontem misit, ut prætextu memorabilis pugnæ occumberet. Verùm, cùm & Solymos vicisset facilè, aliisque multis periculis objectus, semper victor rediisset, postremò ad interimendam Chimæram missus est; quem etiam laborem, Neptuni beneficio nactus Pegasum equum, summa cùm laude superavit. Quapropter Jobates, virtutem Juvenis admiratus, alteram illi ex filiabus, cum regni parte, uxorem dedit. Id cùm audisset Stenoboea, sibi ipsa mortem consivit. At Bellerophon, felici rerum successu elatus, dum in cœlum evolare nititur cum Pegaso, œstro à Jove immisso correptus excutitur equo, & in campum decidit, quem *Aleium* dixere, à verbo ἀλάομαι, erro, quod in eo cœcus errasset Bellerophon, ad vitæ finem: Pegasus verò inter sydera relatus est. Sunt qui fabulæ huic de Chimæra, locum fuisse putent inde datam, ſ quòd immanis quidam Pirata, nave solitus vehi, cujus prora leonem, puppis draconem, reliquum corpus capram depictam exhiberet, à Bellerophonte, oblonga navi instructo, vocata Pegaso, interemtus sit. Hinc proverbium manavit βελλεροφόντεια γράμματα, *Bellerophontis literas*, supple, affert; in eum cadit, qui literas velut commendatitias perfert, quæ scriptæ sint in ejus perniciem. Vulgò, *literas Uriæ*, vocant.

r Homer. Iliad. 6.

ſ Plut. in clar. mul.

ÆSCU-

ÆSCULAPIUS.

t Lucia. in Jove Trag.

MYST. Quid sic hæres, mi Palæophile; quid ita diu obtines silentium?

PAL. t Barbatum illum contemplor senem, nodoso scipione innitentem, coronâ redimitum laureâ, & canibus cinctum. Tu mihi quæso nomen, Mystagoge, illius, genusque ac dotes edisserе.

u Cic. 2. de leg. Cornel. Cels.

x Hom. in hymn.

MYST. u Æsculapius est Medicorum ac Medicinæ Deus, (ideò enim receptus inter Deos est, quòd Medicinam adhuc rudem subtiliùs excoluisset) Apollinis ex Coronide Nympha filius x: Quam deinde Nympham Apollo sagittis confixit, quod se ab alio postea, passa esset adolescente pollui: y sed facti pœnitens Apollo, secto

y Ovid. 2. Met.

ejus utero, fœtum eduxit vivum, & Chirôni medico educandum tradidit, à quo artem Medicinæ perdidicit puer Æsculapius, eaqu. sic excelluit, ut quia ægris valetudinem, & desperatis redderet salutem, ad vitam mortuos revocare

z Virg. 7. Æn.

sit existimatus. z Unde graviter, Rex inferorum Pluto apud Jovem conquestus, suum sibi censum imminui, & abduci subditos; obtinuit, ut Jupiter, ictu fulminis exanimaret Æsculapium.

Ex Fest.

Gerit autem coronam lauream, propterea quòd arbor hæc, ad plurimorum valeat malorum remedia. Nodosum manu tenet bacillum, ad significandam artis medicæ difficultatem. Canes adpictos vides, & canes in ejus templo ponebantur, quòd à multis crederetur,

a Lact. de falsi. Rel. b Paus. in Corinth.

incertis natus parentibus, & expositus fuisse a nutritus à Cane. Ajunt alii, b capram, quam Canis sequebatur, infanti derelicto præbuisse lac; & ab pastoribus visam esse flammam, ejus verticem lambere, & circum tempora pasci, indeque divinitatis augurium captum esse; & in ejus

sacri-


SALVS AVG
TRPOT XI COS II



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0320
DFG

sacrificiis, capram apud Cyrenenses immolari soli am, vel quòd nutritus à capra, vel quòd sanitati hoc animal videatur esse contrarium, c cùm perpetua laborare febri dicatur. Gallos etiam Gallinaceos eidem sacrificari consuevisse ex Platone colligitur, d cujus rei causa me latet.

c Didym. l. 3. ap. Nat. Com.
d In Phædone.

PAL. Ubinam præcipuè cultus est?

MYST. Epidauri e primùm, ubi natus est; unde Romam accitus, urbem gravi pestilentia liberavit. Quamobrem, ipsi Tiberina in insula Templum f dedicatum est, ubi sub ingentis serpentis specie colebatur; idcircò quòd Romani, cum Epidaurum venissent, Æsculapii numen exportaturi, grandis serpens in eorum navem se penetravit, quem illi Deum Æsculapium rati, Romam secum adduxêre. Ferunt alii ab Epidauris Romanos humaniter acceptos, in templum Æsculapii ductos esse, & Anguem, cujus sub imagine venerabantur Deum illum, ultro in eorum navem esse ingressum.

e Liv. l. 45 & l. 10. Flor. epit. l. 11.
f Suet. in Claud. c. 25.

De filiis Æsculapii, nihil fermè tibi dicendum habeo, præter nomen. Filios sustulit duos, totidemque filias; Illi Machâon & Podalirius vocati, ambo Medicinæ arte clari, qui Agamemnonem Græcorum ducem secuti, non mediocrem opem apud Trojam commilitonibus attulere. Filiæ, *Hygiæa*, id est, Sanitas (quam aliqui *f* non filiam ejus, sed uxorem *g* putant) & *Jaso*, ἀπὸ τῆς ἰᾶσθαι, à medendo, dictæ.

MACHAON PODALIRIUS.
HYGIÆA, JASO.
g Orph. in hymn.

PAL. Nihilne dicis de Chirône ejus præceptore?

MYST. Dicam, quando ita cupis. Fuit Chiron Centaurus, Saturni & Phillyræ filius. Hujus Nymphæ, cùm potiretur amoribus Saturnus, *h* Opis uxoris interventu turbatus, subitò se in equum convertit; unde Phillyra ex eo prægnans, fœtum peperit, cujus anterior pars hominem, posterior equum referebat, eumque Chirônem ap-

CHIRON.
h Virg. 3. Georg.
PHILLYRA.

appellavit. Qui ubi primùm adolevit, in sylvas sese contulit, ibique herbarum vires edoctus, præstantissimus evasit medicus; cæterarumque laude virtutum sic excelluit, ut Achillis institutor sit electus, & Æsculapium medicinam docuerit. Postremò, cùm Herculis arma attrectaret aliquando, è sagittis una, Lernææ hydræ veneno imbuta, fortuitò in ejus pedem decidit; quod vulnus cum esset insanabile, & cruciatus afferret intolerandos, mori exoptavit, sed non potuit, quòd utroque parente immortali natus esset. Demum, commiseratione Deorum in cœlum translatus est, ubi Sagittarii signum in Zodiaco efficit.

PROMETHEUS.

Vid. Claud. 4. Paneg. de conf. Hon.

PROMETHEUS, Jâpeti filius, & pater Deucalionis, primus hominem è luto finxisse dicitur, felici adeò successu, ut ipsius solertiam admirata Minerva, obtulerit ultrò, si quid ad sui absolutionem operis, desideraret eorum, quæ in cœlis sunt. Cui Prometheus, dicere se non posse ait, quid sibi ex iis foret utile, quæ nunquam usurpasset oculis. Itaque, Minervæ ope, in cœlum evectus, lustratis omnibus, Solis ignem conspicatus, homini sui animando convenientissimum, admovit rotæ solari ferulam, quam habebat, eâque accensâ in terras ignem detulit. Hoc furtum gravissimè ferens Jupiter, Pandòram misit in orbem cum Pyxide malorum plena, quam offerret Prometheo. At hic veritus, & suspicatus id quod erat, donum recusavit; sed non recusavit Epimetheus ejus frater: accepit, aperuitque pyxidem, & malorum genus universum imprudens effudit; quod ut animadvertit, clausit illicò pyxidem, & Spem in ejus fundo adhuc hærentem, commodùm retinuit ne elaberetur. Audi quàm suaviter Venusinus *i* Poëta de hoc furto,

i Horat. l. 1. carm.

Audax

Audax Japeti genus,
Ignem fraude malâ gentibus intulit.
Post ignem æthereâ domo
Subductum, macies & nova febrium,
Terris incubuit cohors.

Ipsum verò furem Prometheum, *k* in Caucaso monte, per Mercurium adligari jussit Jupiter, Aquilamque adhibuit, jecur ejus assiduè rostro depascentem. Cujus supplicii causam quidam fuisse ajunt, *l* non ignem cœlo subreptum, sed quòd fœminam, animalium perniciosissimum, effinxerat.

k Hesiod. in Theog.

l Menander Poët.

Fabulam fabulæ attexit Nicander; *m* ingratos homines post acceptum ignem, furtum indicasse Jovi; quibus muneris loco perpetuam Juventutem largitus est. Hanc, cum asino clitellario impositam ferrent, asinusque ad fontem bibiturus accedens prohiberetur à serpente, aquis incubante; facultatem demum obtinuit bibendi, postquam pactus est, daturum se illi id omne, quod gestabat. Hinc factum ut serpens exuviis senectæ, cum pelle positis, juvenescere videatur.

m In Theriacis.

At *n* Prometheus de Jove benè meritus, (ipsi enim aliàs aperuerat insidias Saturni patris; & à nuptiis cum Thetide contrahendis, quas exitiabiles fore prædixerat, eundem avocarat) in gratiam accepti beneficii, Herculis opera, qui telo transverbemvit aquilam, supplicio exemptus est. *o*

n Hygin. 2. Astron.

o Paus. in pr. Eliac.

Fuit verò Promotheus, ut ipsum nomen indicat, vir prudentissimus, ἀπὸ τῆς προμηθείας id est, à providentia sic appellatus, qui, quòd rudes & agrestes homines ad humanitatem informâsset, hominem ex luto finxisse; quòd in Caucaso Scythiæ monte syderum cursus observaret, affixus Caucaso; quòd ignis eliciendi è silice, alendique rationem invenisset, aut primus aperuisset naturam fulminis, ignem Diis subripuisse; &

& quòd ingenti sollicitudine ac curâ, huic studio addiceret animum, Aquila jecur ejus exedisse dicitur.

p Apoli. l 3. DEUCALION.

PAL. Deucalion *p*, quem Promethei filium vocâsti modò, illéne fuit, qui perditum hominum genus reparâsse dicitur?

MYST. Ipsissimum fuisse fabulantur. Cùm enim apud Thessalos imperitaret, eluvione omnium maximâ, universum terrarum orbem inundatum esse ajunt, genusque humanum funditùs deletum, uno Deucalione, ejusque uxore PYRRHA. Pyrrha servatis: Qui navicula delati in Parnassum montem, cùm aquæ desedissent, consulto Themidis oraculo, quânam arte restitui posset hominum genus; responsum est, si magnæ Matris ossa, post tergum jacerent. Jactis itaque post tergum lapidibus, (eò spectare rati oraculi vocem, ut Magna illa Mater, esset ipsa terra; ejusque ossa, lapides) mirum dictu! quos lapides projiciebat Deucalion, in viros; quos verò q Ovid. 1. Met. Pyrrha, in fœminas mutatos esse somniant.*q*

---- *Saxa*
Missa viri manibus faciem traxere virorum;
Et de fœmineo reparata est fœmina jactu.
Inde genus durum sumus.
Et documenta damus, quâ simus origine nati.

At, unde datus huic fabulæ locus? Vir bonus ac pius Deucalion, ipsiusque religiosa conjux, exemplo vitæ, & urbanâ consuetudine, feros ac duros, & quasi lapideos homines, emollierunt, & ad civilem humanumque cultum traduxerunt. Atque hæc est hujus ansa fabulæ.

ATLAS.

PAL. Quis ille, cœlum humeris sustentans.

MYST.

MYST. Atlas Mauritaniæ Rex, Japeti filius, Promethei frater. Is, cùm ex oraculo didicisset, imminere sibi perniciem, ab uno ê filiis Jovis, constituit neminem prorsùs excipere hospitio. At Perseus Jove progenitus, cum fortè per Atlantis ditionem iter haberet, & Atlantem adiisset officii gratiâ, ab illo exclusus, irritatusque tanta inhumanitate, objecto clypeo, quem ferebat, ostensoque Medusæ capite, illum in sui nominis montem mutavit, r sublimem adeò, ut cœlum credatur attingere. De illo ita Maro. r Herod. in Melp. [Virg. 4. Æn.

—— Jamque volans apicem, & latera ardua cernit
Atlantis duri, cœlum qui vertice fulcit,
Atlantis, cinctum assiduè, cui nubibus atris
Piniferum caput, & vento pulsatur & imbri.
Nix humeros infusa tegit; tum flumina mento
Præcipitant senis, & glacie riget horrida barba.

Quòd autem Astrologus fuerit eximius, primusque de cœlesti sphæra disputârit, ideò cœlum sustinere dictus est, & filiæ, quas habuit, stellæ fuerunt a veteribus habitæ.

PAL. Quæ fuêre illæ filiæ, aut quod earum nomen?

MYST. Aliæ dicuntur *Hyades*, quas ab uxore Æthra, aliæ *Pleiades*, quas â Pleione conjuge altera, susceptit. t Illarum nomina hæc sunt, Ambrosia, Endora, Pasithoë, Coronis, Plexauris, Pytho, & Tyche: u istarum autem, Electra, Halcyone, Celæne, Maja, Astero-pe, Taygete, Merope; omnes numero quatuordecim. t Ovid. 5. Fast. u Ara. in Astron.

PAL. HYADES, unde dictæ? HYADES.

MYST. Ἀπὸ τῦ ὕειν â pluendo.

x *Nubila quas* Hyades, *Graius ab imbre vocat,*
Ob maximas pluvias, quas creant, dum oriuntur x Ovid. 5. Fast.

y Gell. l. 13. c. 9. vel occidunt, *y* à Latinis dictæ *Suculæ*, quòd Græci vocent ὗας, quas Latini *fues*; vel quod luto, tanquam fues, gaudere videantur, ob assiduos

z Euryp. in Jove. imbres, quos generant. *z* Alii sic vocatas volunt ab Hyante fratre, quem cùm à Leone devoratum, implacabili luctu prosequerentur, Jovis commiseratione, in septem stellas sunt conversæ, quæ visuntur in capite Tauri. Hyadesque in-

a Hesiod. in Th. de dictæ, *a* quòd etiamnum lachrymarum imbres, ab earum oculis profluere credas.

PLEIADES *PAL.* Plejades verò, cur sic appellatæ?

MYST. ἀπὸ τῦ πλέειν, à navigando; propterea quòd ortu suo, commodum navigationi tempus ostendunt; à Latinis *Virgiliæ* dictæ, à verni, quo exoriuntur, significatione temporis. Vel, Peliades dictæ, quasi πλείονες, hoc est, plures, quòd nunquam, singulæ appareant, sed omnes simul, præter Meropen, quæ vix se præbet aspectabilem, idcirco, quia, cùm reliquæ sorores Diis nupsissent, sola Merope, mortali viro Sisipho nupserit, quam ob causam, velut pudore suffusa latitat. Alii putant hanc esse Electram,

b Ovid. 4. Fast. ideoque videri obscuriorem, *b* quòd excidium Trojanum spectare non potuerit, sed oculis objecerit manum.

Fuerunt autem & Pleïades in stellas transformatæ, quòd, sicut Hyades Hyantem fratrem; ita Pleïades, casum Atlantis patris in montem mutati, incredibili dolore lugerent. Nunc pauca de illarum patruo.

HESPERUS Hosperus is fuit, Atlantis frater, à quo Italia, ubi aliquandiu mansit, *Hesperia* dicta est. Cùm autem montis Atlantis verticem, astra speculandi causâ, frequens ascenderet, & aliquando non comparuisset, honores divinos illi vulgus adhibuit, stellamque lucidissimam, ejus nomine appellavit, quæ φωσφόρος, Latinè *Lucifer* dicitur, cùm antegreditur solem, cùm subsequitur autem *Hesperus*, seu *Hesper* & *Hesperugo*, *Vesper*, *Vesperugo*.

He-

Hesperides, hujus Hesperi filiæ tres, Ægle, Aretusa, & Hesperetusa, hortos habuisse dicuntur, nemore aurifero pretiosos: quorum custodiæ excubabat Draco pervigil, quem cùm peremisset Hercules, aurea mala abstulisse fabulantur. Hinc, *Hesperidum mala largiri*, μῆλα ἑσπερίδων δωρῆσαι, dicuntur, qui magna splendidaque largirentur. HESPERIDES.

ORPHEUS ET AMPHION.

UTRUMQUE simul in una eademque tabula, iisdemque fermè coloribus expressum intueris: quia eâdem arte uterque ex æquo claruit, uterque Lyræ cantu, non homines solùm sed pecudes, ipsaque saxa movit.

Orpheus certè, Apollinis ex Calliope Musa filius, acceptâ à patre lyrâ, tam scitè canebat, ut feras cicuraret, fluvios sisteret, sylvasque totas concitaret in admirationem sui. c Ad inferos cum eadem lyra descendisse ferunt, ut Eurydicen uxorem, à serpente occisam, dum effugeret Aristæi vim, repeteret à Plutone & Proserpina, eosque suavitate cantus ita demulsisse, ut illius impetrarit reditum ad vitam, eâ tamen lege, ut conjugem non priùs adspiceret, quàm ad superos perveniissent; Id, ob amoris impatientiam, præstare cùm non valuisset, reductam esse iterum ad inferos Eurydicen. Quare Orpheus, vitam deinceps cælibem agere decrevit, aliosque bene multos abalienavit ab amore fœminarum; quam ob causam, à Mænadibus seu Bacchis discerptus esse dicitur; aliam tamen alii afferunt, nimirùm Veneris instinctu, amore inflammatas sic in Orpheum fuisse fœminas, ut in ejus amplexum certatim irruentes contentione.

c Apoll. l. 1. Argo. EURYDICE

tione ac libidine furiosâ incitatæ, eum dilaniârint. Ejus ossa Musæ collegerunt, & in sepulcrum intulerunt non sine lachrymis; Lyra, inter astra relata est.

d Paus. in Bœotic.

AMPHION, Jove, & Antiope ortus, accepit & ipse à Mercurio Lyram, seu Testudinem, *d* ejusque sono saxa numerosè movit, & ad Thebanæ urbis mœnia construenda composuit, ut

e De Art. Poët.

ait Horat. *e*

Dictus & Amphion Thebanæ conditor urbis,
Saxa movere sono testudinis, & prece blandâ
Ducere quo vellet.

Locus fabulæ inde datus, quòd & Orpheus & Amphion, eloquentiæ facultate, qua præcellebant, feros homines, ad mansuetius vitæ genus revocârint.

f Herod. in Clio.

ARION dignus est, qui duobus hisce citharœdis comes eat; & miror, abesse ab hoc loco ejus imaginem. *f* Fuit enim Poëta Lyricus, patriâ Methymneus è Lesbo insula, qui grandem pecuniam, cùm artis, quam profitebatur, beneficio collegisset, & navi, ex Italia Lesbon repetens, videret sibi insidias à sociis parari propter opes; nautas orasse fertur, ut carmen aliquod, priusquam moreretur, concinere sibi liceret; quo impetrato, sumpta citharâ, suaviterque modulans, in mare se dejecit; sed à Delphino, quem cantu pellexerat, exceptus dorso, Tenarum deportatus est. *g*

g Ovid. 2. Fast.

Ille sedet, citharamque tenet, pretiumque behendi
Cantat, & æquoreas carmine mulcet aquas.

Delphinus autem ipse in præmium hujus officii in cœlum elatus est.

ACHILLES.

ACHILLES, Pelei fuit ex Thetide filius; quem adhuc infantem, stygiis undis mater immersit. Ex quo factum, ut ejus cor-

corpus, tela omnia retunderet, nec ullo saucia-
ri modo posset, *h* eâ exceptâ parte pedis, quâ h Apoll.
prehensus erat, dum ablueretur. Alii dicunt, à 4. Argon.
Thetide occultatum sub igne, noctu, post-
quam interdiu Ambrosiâ perunctus fuerat,
unde *Pyrisous* primò dictus, quòd ab
igne servatus esset; postea *Achillis* nomen
obtinuit, ab α, & nomine χεῖλος, *labrum*, quasi
sine labro, ejus enim labrum exustum est; pro-
pterea, quod illud sibi lingebat infans, cûm un-
gebatur, atque ita Ambrosiâ non potuerat illi-
ni. *i* Alii à Chirône Centauro educatum perhi- i Apoll.
bent, & Leonum visceribus, Aprorumque & Ur- l. 1. Eurip.
sorum medullis, lactis loco, fuisse pastum. Hinc in Iphig.
videlicet infracta illa ortum habuit magnitudo
animi, corporisque robur invictum, *k* adeò ut, k Gell. l. 2
in proverbii loco vocari soleant Achilles, qui c. 11.
fortitudine præstant, & Achilleum dicatur ar-
gumentum, quod contrariis rationibus infirma-
ri nequeat.

Cum autem ex oraculo audiisset Thetis, pe-
riturum in expeditione Trojana filium; aliunde
verò Calchas vates pronuntiasset, sine Achille,
expugnari Trojam non posse, Ulyssis astu, coa-
ctus est arma capessere. Dum enim, matris jus-
su, latet Achilles, virgineo tectus habitu, in Gy-
næceo regio, apud Scyron insulam de Cycladi-
bus unam, inter filias Lycomêdis Regis; id subo-
doratus Ulysses, eò contendit cum mercibus,
mercator personatus, quas in illo Gynecæo ve-
nales exponit, Achillis à virginibus discernendi
causâ. Hic puellæ regiæ, pro insita sexus indole,
dum in armillas, specula, monilia, cæteraque id
genus, mundi muliebris ornamenta curiosas
manus injiciunt, cupidisque inspiciunt ocu-
lis; Achilles contrà, clypeos attrectare, cassides
aptare capiti, vibrare enses & lateri accommoda-
re. Quo indicio, virum se prodens, ad bellum
proficisci compellitur; armis priùs instructus ab

Vulcano, Thetidis rogatu, impenetrabilibus. Ad Trojam, Hectorem Priami filium interfecit; ipsèque vicissim à Paride ex insidiis, occasione Polyxenæ interfectus est, *l* cujus interitum, Nymphæ omnes ac Musæ flevisse dicuntur.

l Lycoph. in Alexandra.

Erat Polyxena Priami Trojanorum Regis filia, decore excellenti virgo. Hanc in Trojæ mœnibus, Achilles fortè vidit & amavit, sibique optavit uxorem; annuit Priamus; conveniunt in Apollinis templum, inituri fœdus, irrepit clam Paris frater Hectoris, occultat se ponè simulacrum Apollinis, Achillemque nihil tale suspicantem, sagittâ perimit, in eam pedis adactâ partem, quæ sola vulneri erat obnoxia. Captâ deinde Trojâ, Polyxenæ sanguine Achillis umbræ, parricidii pœnas reposcenti, Græci parentârunt.

ULYSSES.

Vide Nat. Com. m Homerus in Odyss.

ULYSSES, Græcè Ὀδυσσεὺς, ita dictus, ut nonnulli putant, ab ὁδὸς, via; *m* quod in ipsa via, ejus mater, iter faciens lapsa, illum pepererit, in Ithaca insula, (unde cognominatus *Ithacus*) aut, ut quibusdam placet, in Bœotia natus est, Laërte & Anticléa parentibus. Uxorem habuit Penelopen, prudentiæ juxta ac castimoniæ laude celeberrimam. Ardente bello Trojano, ne ab charissima sibi conjuge abscedere cogeretur, insaniam simulavit, junctis aratro diversi generis animalibus, & salem sulcis mandans. Verùm, ejus fraude à Palaméde detecta, qui aranti filium adhuc puerulum objecit, exploraturus, an vomere illum proscissurus esset; Ulysses flexo vomere cum declinasset, ne filium læderet, mentis compos judicatus, ad bellum ire compulsus est, ubi egregiam navavit operam; effecitque ipse unus potissimùm, ut

ut Troja caperetur, amotis omnibus illius expugnandæ fatalibus inpedimentis: Nam & Achillem, ut dixi modò, latitantem ad bellum perduxit; & sagittas Herculis à Philoctête impetratas, ad Trojam pertulit, & cinerem Laomedontis, qui super Scæa porta Ilii servabatur, abstulit: & Palladium, ex eadem rapuit urbe; & Rhœso Thraciæ rege occiso, equos ejus abduxit, priusquam Xanthi aquam degustâssent. Quæ omnia in Trojæ fatis erant, sine quibus Troja capi non poterat.

Deinde, cum Ajâce, Telamonis & Hesiones filio, Græcorum, ubi discesseris ab Achille, fortissimo, pro Achillis armis, coram judicibus contendit, qui Ulyssis eloquentiâ victi secundùm illum dixêre sententiam, eique arma addixerunt: Quo dedecore, in furorem versus Ajax ferro incubuit; ejus cruore in Hyacinthum florem mutato. AJAX.

Sub hæc, immensâ viginti annorum navigatione, adversa tempestate semper exclusus patriâ; primò, Polyphêmum præusto stipite excœcavit. Hinc in Æoliam vela faciens, ab Æolo ventos in utrem coactos obtinuit: & cùm propè teneret Ithacæ portum, soluto utre à sociis, thesaurum inesse credentibus, reflante vento, denuò in Æoliam pulsus est. Secundò, sociis in Belluas mutatis à Circe, sumpto adversùs ejus veneficia, quod Mercurius miscuerat, pharmaco, in illius speluncam stricto ense irruens, veneficam coêgit restituere sociis pristinam formam; atque ex ea sibi conciliata, Telegonum filium suscepit. Tertiò, pervasit posthac inferos, ex Tiresia vate sciscitaturus, quæ sibi eventura forent. Quartò, ad insulas Sirenum delatus, insidiosas evitavit cantûs pestilentis illecebras, sociorum auribus cerâ obturatis, ipse ad navis malum, valido fune colligatus. Denique lacerată fluctibus navi, factoque naufragio, na-

tando evasit in portum Phæacensium, solus ac nudus; ubi à Nausicaë Alcinoi Regis filia repertus inter virgulta delitescens, benignè habitus; sociis, & nave acceptis, dormiens in Ithaicam deportatus est. Excitatus autem à Pallade, ejus monitu, mendici personam induit; suos adit subulcos, apud quos Telemachum filium reperit, incognitus ducitur domum; ubi, post multas sibi à procis injurias, cum filio & duobus subulcis, quibus se indicaverat, ex composito arma capiens, procos ad unum omnes trucidavit, Penelopenque suam recepit.

PENELOPE. Fuit Penelope Icari filia, singularis pudicitiæ exemplar absolutum; quæ totis viginti annis, quibus Ulysses ejus maritus abfuit, pro mortuo vulgo habitus, nullis aut parentum precibus, aut procorum pollicitationibus adduci potuit, ut fidem discedenti marito datam violaret, alterique nuberet. Cùm autem, nobilissimi quique magno numero juvenes, ejus limina assidui tererent, illamq; singuli uxorem sibi postularent, sic ut tergiversanti, vim jamjam illaturi viderentur, tantùm moræ ad deliberandum impetravit mulier astuta, quantum telæ, quam in manibus habebat, absolvendæ, satis esset. At de nocte retexens, quæ de die texuerat, procos in adventum Ulyssis distulit, qui, ut dictum est, universos de medio sustulit. *n* Hinc proverbio dicitur, *Penelopes telam retexere*, pro, inanem operam sumere, alteráque manu destruere, quod alterâ fuit extructum.

n Cic. 4. Acad. Erasm. in adag.

ORION.

PAL. Quis fuit Orionis ortus?

MYST. Dicere suppudet. Dicam tamen, ne quid te celem, quod me rogas, subturpe licet. Ex urina (sit honos auribus) trium Deorum ferunt esse progenitum. Cùm enim unà iter



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0333
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0334
DFG

iter facerent Jupiter, Neptunus, & Mercurius, noctèque oppressi divertissent in tugurium cujusdam pauperis, cui Hireus nomen; humaniter adeò, atque etiam pro tenuitate hospitis splendidè accepti sunt, ut optionem ei dederint, quidlibet petendi. Ille, velle se ait vitam agere cælibem, quod conjugi promiserat morienti, filium tamen vehementer desiderare. Voto tam pio Dii obsequentes, bovis, quem ille mactarat ad epulum, perfudere lotio corium, jubentque, illud, ita ut erat, urinâ perfusum obtegere terra. Decimo post mense, corium, ut jussus erat, retegit, puerumque inde natum miratur, quam ab ipsa re *Urionem*, seu Orionem nominavit. Hic deinde, se Dianæ comitem, adolescens, adjunxit; cujus in illam amor, cùm modestiæ fines transiliret; seu, ut scribunt aliqui, cum insolentiùs prædicaret vires corporis, jactaretque, nullam esse feram, quàm non conficere facilè posset; Terra, tantam non ferens arrogantiam, scorpionem immisit, à quo necatus est. Illatus dein cœlo, inter sidera locatur, & tempestates excitare creditur tum, cùm latet; tranquillitatem contra referre, cùm se prodit. Unde *Nimbosus Orion*, à Virgilio dicitur; *o* indeque nomen habuisse suspicatur, quòd ὀρίνω *turbo, concito, moveo*, significet. O Æn.

OSIRIS, APIS, ET SERAPIS.

TERNA hæc nomina, habentur vulgò Numen unum; non ergo distinguenda sermone sunt.

OSIRIS, Jove & Niobe Phorónei filia genitus, cum multos regnasset annos apud Argivos, Ægialo fratri suo, regno relicto, incensus cupidi-

tate gloriæ, novum nomen, novaque regna quæsiturus navigavit in Ægyptum. Gente illa non tam armis victa, quam humanitate eximiisque beneficiis, sibi devinctâ duxit uxorem Jo, Inachi filiam, quam Jupiter in vaccam olim mutasse, superiùs diximus. Hæc in Ægyptum, intemperiis agitata cùm perveniſſet, suæ reddita formæ, nupsit Osîri, & litteras docuit Ægyptios; quas ob res, & ipsa, Osirisq;, divinos honores adepti sunt, apud populos illos immortalitate affecti. Primus tamen mortalem se præbuit Osîris, à Typhône fratre occisus; qui ab Iside sua (mutato enim nomine, *Jo*, dicta *Isis* est) diu quæsitus, inventus tandem in arca; monumento illatus est, in insula Memphi proxima, quam Styx, feralis ac luctuosa palus efficit. Quòd autem ad investigandum locum, in quo latebat, canum sagacitate abusa sit, hinc evenisse ajunt, *n* ut prisco more, in Isidis solemni pompa, quotannis agi solita, Canes prærirent; & Deum deinceps canino capite insignem, Anubim nomine, haud vulgari religione colerent. Hunc Poëtæ passim appellant *x latratorem, y semicanemq; Deum, semihominemque z canem; zz* itemque *Hermanubis* dictus est, quòd illum, ob sagacitatem, eundem esse cum Mercurio, nonnulli putent. Ad Osîrim, Isidémque revenio.

Jo, Iseu Isis.

n Ex Gyr. Synt. 9.

ANUBIS.

x Virg. 8. Æn.

y Ovid. 9. Met.

z Lucan.

Seduli.

zz Plut. in Isid. Serv. in 8. Æn.

Osíridis cadavere sepulturæ mandato, Bos quidam præstanti specie, cùm apparuisset Ægyptiis, illum Osírim rati, pro Deo venerati sunt, & *Apim*, hoc est, eorum linguâ *Bobem*, appellarunt. Quia verò post mortem, inventum est illius corpus inclusum arcæ, quæ σοροὸς, Græcè dicitur, inde *Serâpis*, & immutatione primæ literæ *Serâpis* dici cœptus; de quibus clariùs mox & explicatiùs, ubi adnotavero, quod Plutarchus habet de Osiride; illum scilicet existimatum esse Solem, sceptro exprimi solitum, in cujus apice micabat oculus; ducto inde Osiridis nomine, nam

nam *os*, apud Ægyptios, *multum*, & ὄψις, *oculum* significat. *Osiris* igitur, quasi πολυόφθαλμος, multos oculos habens? quod Soli aptè convenit, qui quot radios; tot videtur habere oculos, quibus omnia lustrat & illustrat.

ISIS autem, quam quidam Palladem, alii Terram, Cererem alii, plerique Lunam fuisse scribunt, κεραοφόρος, id est, cornigera effingebatur, ad Lunæ crescentis similitudinem, & μελανόστολος, nigris vestibus induta, quòd Luna luceat in tenebris, sistrum dexterâ, situlam sinistrâ ferens: Caput, vulturis pennæ coronabant, nam vultur apud Ægyptios, Junoni sacer est; ejus denique plumis, vestibulorum fastigia exornari solita. Illius Sacerdotes ab Iside, dicti *Isiaci*, *a* suillis & ovillis carnibus abstinebant, neque salem *b* cibis adhibebant, ne castitatem violarent; *c* Caput radebant; papyraceis tantùm *d* calceis utebantur, *e* & linea veste, quia lini usum prima Isis docuit, ex quo *f* Linigera dicta est. Ut etiam *g Inachis*; ab Inacho parte: Cum autem Isidis nomine passim intelligeretur ipsa sapientia; in ejus templi pavimento, legebantur hæc inscripta verba. *h* Ἐγώ εἰμὶ πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὂν, καὶ ἐσόμενον, καὶ τὸ ἐμὸν πέπλον, οὐδεὶς τῶν θνητῶν ἀπεκάλυψεν, hoc est, *Ego sum quidquid fuit, est, & erit; nec meum peplum mortalium quisquam retexit.*

Serv. 8. Æn.

a Ælian. l. de anim.
a Herod. l. 2.
b Plut. Sympos. 5. c. 10.
c Rhodig. 5. c. 12.
d Herod. l. 1.
e Claud. 4. Hon. cons.
f Ovid. 1. de pont. El. 1.
g Proper. l. 1. & 2.
h Plut. de Isid.

Isidis hujus ope, Iphis Cretensis puella, Lygdi & Theletusæ filia, in Marem mutata est, si credere dignum est, ingenioso fabricatori fabularum. *i* Lygdus ille peregrè proficiscens uxori prægnanti mandat, fœminam si pariat, eam ut exponi curet. Quod cùm accidisset, nec vellet Theletusa prolem perdere, simulat se peperisse marem, & habitu sexum mentitur virilem; & Iphidis nomen imponit, mari fœminæque commune. Redux domum maritus, & conjugi credit; & filiæ, filii personam agenti; Quæ simul

IPHIS.

i Ovid. 9. Metam.

ac

ac nubiles annos attigit, de illa pater agit matrimonio collocanda. Itaque ipsi tanquam adolescenti, Janthe despondetur virgo perelegans: itur in templum ad nuptias ritè celebrandas, interque eundem Isidis opem implorat mater mirè sollicita, & supplicem audiit Isis, Iphidemque puellam, in Juvenem lectissimum mutat. Sed ad Serapin nunc Apimque veniamus.

SERAPIS, de cujus modò nomine diximus, Deus Ægyptiorum, qui tamen in Græcia, *k* Athenis præsertim, atque etiam Romæ *l* cultus est, à variis habitus, *m* modò Jupiter Ammon, modò Pluto, Bacchus, Æsculapius, modò existimatus Osiris; inter ea nomina locum habuisse dicitur, *n* quæ Græcè ἐπταγράμματα, id est, septem litterarum, ideóque abominanda censebantur. Hunc Deum, sunt qui dicant *o* fuisse è Ponto accersitum, à Ptolemæo Lagi; ejusque effigiem à Sinopensium Rege impetrasse, eique templum dedicasse magnificum Alexandriæ. Illum Eusebius vocat, *p* malignorum dæmonum principem; *q* cujus imago calathum gerebat in capite, accubante juxta animali tricipite, medium Leonis, dextrum Canis, lævum Lupi caput habente; quos Draco circumvolutus implicabat, capite redeunte ad Dei dexteram, qua formidabile monstrum compescebatur. Porrò in omnibus ferè templis, in quibus Serapis & Isis colerentur, visebatur simulacrum, quod admoto labris digito, silentium videbabatur indicere; nimirum ut significarent, ut Varro sentit, tacendum esse, eos aliquando fuisse homines. Erat enim lege cautum, pœna capitis propositâ, ne quis Serâpim, hominem quandoque mortalem exstitisse diceret.

k Paus. in Attic.
l Publ. Victor.
m Tacit. l. 20. Plut. de Osir.
n Porph.
o Tacit. l. 20.
p 4. Præp. Eu.
q Macro. in Sat.

APIS, de quo jam quædam superiùs, fuit Argivorum Rex, inquit *r* Augustinus, qui navibus transvectus in Ægyptum, factus est Serápis, omnium maximus Ægyptiorum Deus. Illo extincto,

r Lib. 18. de Civ.

cto, succeſſit in demortui locum Bos ille, quem paulò ante indicavimus: ſed qualis, aut cujus formæ; Audi, quo pacto illum *s* Plinius deſcribat. *s* Lib. 8. c. 46.

Bos, in Ægypto, inquit, numinis vice colitur, Apin vocant: inſigne ei in dextro latere candicans macula, cornibus Lunæ creſcere incipientis, nodus ſub lingua, quem cantharum appellant: (Niger ex toto corpore, ait Herodotus, *t* in fronte habens candorem figuræ quadratæ, in tergo effigiem Aquilæ, & præter illum cantharum in palato, duplices in cauda pilos.) Non eſt fas, pergit Plinius, eum certos vitæ excedere annos, merſumque in Sacerdotum fonte enecant, quæſituri luctu alium quem ſubſtituant: donec inveniant, mœrent, deraſis etiam capitibus. Inventus deducitur à Sacerdotibus Memphim. Sunt delubra ei gemina, quæ vocant thalamos, auguria populorum; alterum intraſſe, lætum eſt; in altero dira portendit. Reſponſa privatis dat, è manu conſulentium cibum capiendo. Germanici Cæſaris manum averſatus eſt, haud multò poſt extincti. Secretus fermè agit; cùm autem ſe proripit in cœtus, præeuntes lictores turbam ſummovent, grexque puerorum comitatur, carmen honori ejus canentium. Intelligere videtur, & adorari velle: Fœmina bos ſemel ei anno oſtenditur, ſuis & ipſa inſignibus, quanquam aliis; ſemperque eodem die, & inveniri eam, extinguique tradunt. Hæc Plinius. Quibus addit Ælianus, Apin, non coitu, ſed ex vacca fulgure afflata concipi. *u* His nugis fidem non adhibens Cambyſes Aſſyriorum Rex, Apin enſe in femore percuſſiſſe dicitur, ut ſcilicet ſi flueret ſanguis, deprehederentur non eſſe Deum, cujus ſacrilegii pœnas dediſſe ferunt. *t* Lib. 3. *u* Epiph. ap. Gyr.

APPEN-

APPENDIX

DE DEABUS DEORUM EFFECTRICIBUS.

DEÆ illæ, Virtutes sunt, quarum imagines in angustum contractas, postrema hæc tabella continet; quarumque præsidio, non Adscriptitii solum, quos contuebamur modò; sed cæteri etiam Dii omnes, de quibus disseruimus hactenus, in cœlum adscenderunt, supremisque honoribus exornati sunt. Vitia quædam (nam & vitiis dicatæ aræ) admista vides; quorum velut umbris ac recessibus, illustrius Virtutes eminent, excitaturque illarum claritas, quodam quasi colorum repercussu, Utriusque fausta alia quæpiam infaustaque adjuncta sunt Numina, de quibus pro instituta brevitate, pauca.

VIRTUTES DEÆ.

Bonaque Numina.

NOn tantùm singulas virtutum species, sed Virtutem quoque ipsam veteres tanquam Dearum coluere. De hac primùm, tum verò de illis.

VIR-


PAX AVG
S
SC
P.TR.P COS III
S
LIBERTAS AVGVSTA
S
C
CONCORDIA AETERNA
HONOS ET VIRTVS
PVDICITIA AVG
SC
PIETAS AVG
CLEMENTIA AVGVSTI
SC



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0342
DFG

VIRTUS ET HONOR.

Virtus, à *viro* sic dicta, quòd virum virtus maximè honestet, *a* habita pro Dea, & *b* culta fuit, habitu matronali, senili quandoque specie, saxo quadrato insidens : cui templum *c* M. Marcellus dedicavit, & Honoris ædem curavit adstrui ; sic, ut per Virtutis templum, ingressus esset ad ædem Honoris, quo significaretur, non nisi per virtutem aditum ad verum honorem. Huic aperto capite sacrificabant ; quòd splendidum quiddam sit honos ; unde viris illustribus & honoratis caput aperire solemus : Quid mirum igitur, ipsi si aperiatur Honori ?

a Cicer. Tusc. 2.
b Aug. 4. de Civ. c. 20.
c Liv. l. 2.

FIDES.

Ædem habuit Romæ, Jovi Capitolino proximam, *d* quam primus omnium Numa Pompilius consecrasse dicitur. *e* Sine cæde ac sanguine ejus sacra procurabantur, ipsiusque Flamines albo panno caput habentes involutum, velatâ manu, itemque candido opertâ panno, rem sacram faciebant : ut ostenderent, fidem debere esse tectam & secretam. *f* Hinc *Cana fides*, à Virgilio dicitur ; vel propter candorem animi, à quo fides ortum habet ; vel, quòd in hominibus canis esse soleat. Idcircò, Canis albus, ejus symbolum fuit ; quo animali, nullum, fidelius est. *g* Atque etiam, duæ junctæ munus, aut puellæ geminæ, dextram dextræ conserentes ; sic enim *dextrâ datâ*, inquit Livius, *fidem futuræ amicitiæ sanciebant.*

d Cic. de off.
e Dion. Hal. l. 2.
f Serv. in 1. & 2. Æn.
g Stat. 11 Theb.

SPES.

Ædem habuit Romæ, in foro olitorio, *b* quæ icta fulmine deflagravit. Ejus effigiem, in Adria.

h Liv. l. 21.

Synt. 1. Adriani numismate aureo, ait se vidisse Gyraldus; in quo, fœmina erat stans, instrtæ laciniam, sinistrâ nonnihil attollens, dextrâ in cubitum elatâ patera m præferebat, in qua repositum inerat veluti ciborium (poculi genus est) ad floris similitudinem efformatum; cum hac inscriptione. SPES. P. R. Spem in fundo pyxidis, quam Pandôra tulit, remansisse, suo loco diximus.

JUSTITIA,

Ejus effigies visebatur, ore virgineo, acri oculorum obtutu, severâ fronte, toto corporis habitu ad timorem feroci, ad dignitatem ornatissimo, ad majestatem venerando. Apud Ægyptios, sine capite fuisse scribit Alexander, sinistra manu exporrecta & explicata. Astræam Græci vocant, ut antè dictum est.

PIETAS.

Ei sacellum Attilius Romæ Duumvir, in eo loco dicavit, in quo mulier habitâsse dicitur, ea, quæ uberibus matrem in carcere aluit. *k* Erat illa plebeja puerpera, cujus mater supplicii causâ, inclusa carceri; cum autem à janitore impetrasset aditum, semper excussa, nequid inferret cibi, deprehensa est uberibus suis alens eam. Quo miraculo, matri salus denata est, pietate filiæ; ambæq; perpetuis alimentis, publico sumptu sustentatæ, & locus ille Pietati Deæ consecratus est. Exemplum est Græcum, *l* huic Latino simile, cujusdam fœminæ, quæ Cymona patrem suum jam grandævum, custodiæ mancipatum, velut infantem admovit gremio, & lacte pavit.

k Plin. l. 7 c. 36.

l Val. Max l. 8.

MISE-

MISERICORDIA.

Huic *m* Athenienſes aram erexerunt, & templum ſeu aſylum poſuerunt omnium primum. *n* Cùm enim poſt Herculis mortem, ejus nepotes, ſibi metuerent ab iis, quos avus afflixerat, Athenis Aſylum, hoc eſt templum Miſericordiæ collocarunt, unde nullus poſſet abduci.

m Pauſ. in Att.
n Serv. in 8. Æn.

CLEMENTIA.

Nihil de hac Dea occurrit memorabile, niſi quod Cæſaris Clementiæ templum erectum eſſe ſcribit Plutarchus. *o*

o In Cæſare.

PUDICITIA.

Ædes Pudicitiæ Patritiæ fuit apud Romanos in foro boario: Plebeia verò Pudicitia Ædiculam nacta eſt, Virginiæ beneficio, hac de cauſa. *p* Virginam Auli filiam, patritia familiâ natam, nuptamque plebeio, Matronæ nobiles, quod è patribus nupſiſſet, ſacris arcuerant, & templi pudicitiæ prohibuerant aditu. Brevis altercatio inde ex iracundia muliebri, in contentionem animorum exarſit, Virginia egregio facto, injuriam vindicatura, in vico longo, ubi habitabat, ſacellum condidit, aramque ibi poſuit; & convocatis plebejis matronis, conqueſta ſe indignè à patritiis habitam: Hanc ego aram, inquit, Pudicitiæ Plebejæ dedico, voſque hortor, ut quod certamen virtutis, viros in hac civitate tenet, hoc pudicitiæ inter matronas ſit; detisque operam, ut hæc ara, quàm illa, ſi quid poteſt, à ſanctioribus & caſtioribus coli dicatur. Eodem fermè ritu, & hæc ara, quo illo antiquior, culta eſt, ut nulla niſi ſpectatæ pudicitiæ matrona, & quæ uni viro nupta fuiſſet, jus ſacrificandi haberet. *q* Quin etiam, coronâ pudicitiæ donari fœminas ſolere, quæ non fuiſſent contentæ matrimonio, memoriæ proditum eſt.

p Liv. l. 10.

q Val. Max l. 2. de Inſtitutis.

S VE-

VERITAS.

r Philost. in Heroic.

Veritas virtutis mater, *r* niveis induta vestibus, splendore conspicua, amœnitate comis, verecundè blanda, pignus probitatis, munimentum virtutis, humanæ societatis lumen & decus, temporis filia vulgò dicitur, & Saturno nata; *s* quòd nimirùm, temporis successu inveniatur veritas. Hanc in putei fundo delitescere, scribit Democritus.

s Plut. in quæst.

MENS.

t Aug. l. 4. cap. 21. u Cic. 2. de Nat. x Liv. 22. & 23.

Mens *t* à Romanis consecrata, ut mentem bonam largiretur, *u* in Capitolio habuit aram, à M. Æmilio positam; eidemque ædem vovisse dicitur Attilius prætor, *x* & postea Duûmvir ad hoc creatus, dedicâsse.

CONCORDIA.

y Liv. l. 9. Plut. in C. Grach. Suet. in Tib. z Gyr. Synt. 1.

Ab antiquis præsertim Romanis culta est, *y* cui variis temporibus multas fuisse dedicatas ædes constat multorum testimonio. Effingebatur autem, craterem dextrâ tenens, & lævâ cornu copiæ aut sceptrum, è quo fruges videbantur erumpere. Ejus quoque symbolum fuêre; dextræ duæ junctæ simul; & malum punicum. *z*

PAX.

a Plut. in Cimon.

Ipsi aram olim *a* Athenis consecratam fuisse ferunt; & Romæ templum habuit magnificentissimum foro proximum, quod Vespasianus ab

b Herod. l. 2.

Claudio inchoatum, exædificandum curavit; *b* quod deinde incendio, Commodo Imperante, consumptum est. Exprimebatur Matronæ specie spicas præferentis, oliva, vel lauro, & aliquando rosis coronatæ. Caduceum, hujus insigne fuit.

SALUS

SALUS.

Tanto fuit in honore apud Romanos habita, ut feriæ antiquis essent, quoties Salutem Deam nominarent. c Romæ fuit porta *Salutaris*, sic dicta, quod Ædi Salutis esset proxima. Ejus simulacrum, mulieris imago fuit, in throno sedentis, dextra tenentis pateram. Ara juxta eminebat, cui anguis circumvolutus, caput attollebat. Fuit ibidem celebratum olim Salutis Augurium, quod intermissum, ab Augusto renovatum legimus. d Erat autem quoddam divinationis genus, quo quærebatur, concederentne ipsi Dii, ut pacem postularet populus; quasi nefas esset, eam priùs petere, quàm petendi potestas fieret. Ad id dies destinabatur quotannis, qua die nullus exercitus ad bellum esset profectus, nullumque prælium commissum.

c Macr. Sat. 1. c. 16.

d Dion. l. 27. Aug. Pol. Misc. c. 12.

FELICITAS.

Et hæc etiam Dea, inquit c Augustinus, ædem accepit, aram meruit, sacra ei congrua persoluta sunt. Illam repræsentabat matrona venerabilis, solio insidens, dextra caduceum, sinistra ingens cornu copiæ retinens. f

e 4. De Civ. c. 8.

f Gyr. Synt. 1.

LIBERTAS.

Huic quoque templum Romani posuerunt; quippe cui maximè studerent, ab eo præsertim tempore, quo pulsis Regibus, asseruêre se in libertatem. Huic scribit Cicero, g domum suam à Clodio consecratam.

g Pro dom.

PECUNIA.

Deam Pecuniam invocabant, ut fierent pecuniosi; h uti etiam Deum Æsculanum, ejusque

h Aug. 4 de Civ. c. 21.

filium Argentinum, ut æream haberent, argenteamque pecuniam. Idcircò autem Æsculanum Argentini patrem esse credebant, quòd priùs ærea pecunia in usu esse cœpit, quàm argentea. *Miror autem*, subdit Augustinus, *quòd Argentinus non tenuit Aurinum, quia & aurea subsecuta est.* Huic Deæ Pecuniæ, bone Deus! quam multi etiamnum hodie supplicant! quot vota faciunt & aras excitant, ut arcas impleat! Hos Deos, Aurum & Argentum, si domi habeas, inquit Menander, quidquid voles, roga; tibi omnia aderunt; ipsos habebis vel ministrantes Deos.

i Ap. Stob. or. de laud. aur.

RISUS.

Risu dignum est, quod Deo Risui, *k* Lycurgus simulacrum, apud Lacedæmonios erexerit. Cui etiam Hypatenses Thessali, singulis annis, rem divinam summa cum lætitia faciebant.

k Plut. in Lyc.

BONUS DEUS.

Apud Græcos, ἀγαθὸς θεὸς, templum habuit, in ipsa via, quæ ducebat ad Mænalum montem, ut Pausanias scribit. *l* Huic Deo, sub cœnæ finem, poculum libabant cæteris meracius (dilutius alii dicunt) quod vocabant ἀγαθοῦ δαίμονος.

In Arc.

VITIA,

Malaque Numina.

MAla voco illa, quæ commodis nostris adversantur, pariuntque sæpè damna. A vitiis ducamus exordium, quibus templa consecravêre.

INVIDIA.

Deam esse Invidiam, seque illius operâ egere,

re, Pallas fassa est, cùm illam domi suæ conveniens, rogavit, tabe sua ut inficeret puellam quandam, cui Aglauros nomen erat. Ejus domicilium ita describit Ovidius.m

m 2. Met.

—— Domus est, imis in vallibus antri
Abdita, sole carens, nec ulli pervia vento;
Tristis, & ignavi plenissima frigoris, & quæ
Igne vacet semper, caligine semper abundet.

Ipsam verò Invidiam sic depingit.

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,
Nusquam recta acies, livent rubigine dentes;
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno,
Risus abest, nisi quem visi fecere dolores.
Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis.
Sed videt ingratos, intabescitque videndo
Successus hominum; carpitque & carpitur unà,
Suppliciumque suum est.

CONTUMELIA ET IMPUDENTIA.

Utramque Athenienses coluêre; n & perdicem designatam ajunt, quam impudentem admodum avem esse perhibent.

n Paus. in Att. Cic. 2 de leg. Theoph. l. de leg.

CALUMNIA.

Calumniæ, iidem Athenienses aram posuerunt. o Eam Appelles coloribus sic delineavit. p Sedet vir, oblongas patulasque habens aures, venientem Calumniam protensa manu invitans. Circumstant mulieres duæ, Ignoratio & Suspicio. Irruit ex adverso Calumnia, compto quidem ore & ornato, sed ardentibus oculis, vultuque ira inflammato, lævâ faciem præferens accensam, dextrâ obtorto collo rapiens adolescentem, supplices manus tendentem ad supe-

o Id. ap. Diogen. p Lucia. l. de non tem. cred. cal.

ros. Præit impurus & pallidus Livor; Fraus & insidiarum Architecta, Calumniæ latera cingunt: Ponè sequitur Pœnitentia pullata, vestitu lacero, caput retrò flectens, quasi exceptura venientem lento gradu Veritatem.

FRAUS.

q Boccat. in Gen. Deor. Effingebatur humanâ facie *q*, corpore reliquo serpentem referente, cujus cauda desinebat in scorpionis aculeum; per Cocyti undas, nando fluitare solita, extante solo capite.

DISCORDIA.

r In Stat. Hanc ita descripsit Petronius Arbiter, *r* de civili bello agens inter Pompejum & Cæsarem.

Intremuere tubæ, ac scisso discordia crine
Extulit ad superos stygium caput. Hujus in ore
Concretus sanguis, contusaque lumina flebant;
Stabant irati scabra rubigine dentes;
Tabo lingua fluens, obsessa draconibus ora;
Atque inter toto laceratam pectore vestem,
Sanguinea tremulam quatiebat lampada dextrâ.

FUROR.

Nunc vinctus ac fremens, nunc solutis vinculis liberè debacchans ac desæviens fingitur: vinctum ita Poëta s exhibet.

s Virg. 1. Æn. *----- furor impius intùs,*
Sæva sedens super arma, & centum vinctus ahenis
Post tergum nodis, fremit horridus ore cruento.

t Petr. Arbit. *----- furor abruptis ceu liber habenis*
Sanguineum latè tollit caput; oraque mille
Vulneribus confossa, cruentâ cassidè velat.
Hæret detritus lævâ Mavortius umbo,

Innu-



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1048272257/phys_0351
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0352
DFG

Innumerabilibus telis gravis, atque flagranti
Stipite dextra minax terris incendia portat.

FAMA.

Famæ dicata esse templa, Pausanias *u* & Plutarchus *x* testantur. Ejus descriptionem elegantissimam Virgilius habet, *y* quam hîc recitare placet, ut te labore liberem Poëtam illum adeundi, licet teratur omnium manibus; Est enim dignissima, quæ memoriæ mandetur, & litteris omnium.

u In Att. x in Camillo. y 4. Æn.

Fama malum, quo non aliud velocius ullum;
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.
Parva metu, primò; mox sese attollit in auras,
Ingrediturque solo, & caput inter nubila condit.
Illam Terra parens, ira irritata Deorum
Extremam, ut perhibent, Cœo Enceladoque sororem,
Progenuit pedibus celerem, & pernicibus alis;
Monstrum horrendum, ingens, cui quot sunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi subter, mirabile dictu!
Tot linguæ, totidem ora sonant, tot subrigit aures.
Nocte volat cœli medio, terræque per umbram
Stridet, nec dulci declinat lumina somno.
Luce sedet custos, aut summi culmine tecti,
Turribus aut altis, & magnas territat urbes,
Tam ficti pravique tenax, quàm nuncia veri.

FORTUNA.

Cur Fortuna Dea putatur, inquit, *q* Augustinus, quæ sine ullo judicio venit, & ad bonos & malos? quæ ita cœca est, passim in quoslbet incurrens, ut suos cultores plerumque prætereat,

z L. 4. de Civ. c. 1

& suis contemptoribus hæreat? Ut non immeritò, apud ipsam fortunam, r Poëta expostulet.

r Juven. Sat. 10.

Nullum Numen adest, si sit Prudentia, sed te
Nos facimus Fortuna Deam, cœloque locamus.

Quis autem consecrata ei templa, quis nomina enumeret? En tamen præcipuorum indicem.

s Spart. in Severo Gyr. Synt. 15.

AUREA Fortuna, *s* in cubiculis Imperatorum haberi solita, quæ alio nomine *Regia* dicitur, à morientis Principis, transferebatur ad successoris palatium.

t Plin. & Cic.

BONA, *t* culta fuit in Capitolio, *Mala* verò in Exquiliis.

u Plut. in qu.

BARBATA, *u* cujus ædem in regia sua Servius Tullius habuit.

BREVIS, seu PARVA, in eodem loco.

x De amic.

COECA; nec enim solùm ipsa fortuna cœca est, inquit *x* Cicero, sed eos etiam plerumque efficit cœcos, quos complexa est.

y Ap Gyr. Synt. 15.

CONSERVATRIX *y*, in quibusdam Inscriptionibus.

EQUESTRIS; Cui ædem Q. Fulvius Flaccus prætor in Hispania, vovit eo die, quo ultimùm

z Liv. l. 41 & 42.

cum Celtiberis depugnavit *z*; cum fræna equis detrahi jussit, ut majore vi atque impetu, in hostes incurrerent, quare victoriam obtinuit.

a Liv. l. 27

FORS FORTUNA, *a* aut fortis fortuna, colebatur ab iis, qui sine arte aliqua vivebant.

b Plut. de fort. Rom

MASCULA *b* prope Veneris templum, ædem habuit, *c Virilis* item dicta.

c Ovid. 4. Fast.

d Dio. l. 8.

MULIEBRIS, *d* ob liberatam urbem à Matronis, Coriolani matre ac conjuge. Hujus simulacrum cum dedicatum esset matronis præsentibus, *e* bis latinè locutum esse dicitur, his

e Aug l. 4. c. 19. Val. M l. 2. c. 8

verbis: *Rite me, matronæ dedicastis.* *f* Non tamen quibusvis matronis licebat hoc simulacrum tangere: sed eis duntaxat, quæ bis non nupsissent.

f Serv. in 4. Æn.

MAMMOSA, ab ubertate, vel à forma.

OBSE-

OBSEQUIENS, *g* quòd mortalium votis obsequatur. Huic, ut etiam sequentibus, templum à Servio Tullio positum est. g Liv. l. 26 & 34.

PRIMIGENIA, *h* quòd Urbi imperium & originem dederit. h Plut. in qu.

PRIVATA, *i* seu PROPRIA, in palatio delubrum habuit, eâque Servius idem, ita familiariter utebatur, ut per fenestellam, in ipsius ædes descendere putaretur. i idem.

PRÆNESTINA *k*, apud Præneste, templo celeberrimo, è quo certa reddebantur oracula, insignis præ cæteris ac nominatissima. k Liv. l. 52 Suet. in Domit. c. 15.

REDUX; cui à Domitiano sacellum dedicatum est. *r* r Mart. l. 8 sap Gyr.

STATA *s*, in veteribus Inscriptionibus nominatur. t Arnob. 2 adv. Gent.

VIRGO Fortuna, *t* ad quam puellarum togulas deferebant. u Plut. in qu.

VISCATA, *u* seu VISCOSA, ut ab ea capiamur: quo sensu Seneca dixit, Viscosa esse beneficia.

FEBRIS.

Aras habuit *x* & fanum in palatio: hanc (quod etiam de cæteris Diis ac Deabus ejusdem modi intelligendum est) colebant, ne noceret. x Cic. 3. de nat. & 2. de leg.

PAVOR & PALLOR *y*, à Tullo Hostilio facti & culti; quòd commisso inter Romanos & Vejentes prælio, nunciatum illi esset, Albanos desciscere, palleréque & pavêre Romanos *z*; ipse in re trepida templum vovit Pallori & Pavori. y Aug. l. 4 c. 18. z Liv. l. 1.

PAUPERTAS & ARS, à Gadareis cultæ, *a* quòd illa ad artes inveniendas ingenium acuat. a Arrian. ap. Gyr. synt. 1.

NECESSITAS, & Violentia, in Acrocorintho ædem habuêre, quam nefas esset ingredi.

TEMPESTAS, sacello donata est à M. Marcello, extra portam Capenam, postquam in Corsicam dum navigaret, atroci tempestate perfunctus est.

SILENTIUM.

Latini & Ægyptii, silentii Deos ac Deas coluêre: Illi *b* ANGERONIAM, & TACITAM, cujus simulacrum, ore obligato & obsignato fuisse ajunt, & in ara Voluptatis Deæ ideò collocatum, quòd qui suos angores (hinc enim *Angeronia* dicta est) animique sollicitudines taciti ferunt, æquóque animo; perveniant patientiæ beneficio, ad maximam voluptatem.

bMacrob. Sat. Plut. in Num. Plin. l. 3.

HARPOCRATES verò ab Ægyptiis Deus silentii habitus post Osiridis mortem, ex Isidè natus, cui lentes & leguminum primitias offerebant, & Perseam sacrabant arborem, quòd ejus folia, linguæ, fructûs autem cordi similia sint. Effingebatur specie puerili, corpore nudo, Ægyptiacâ mitrâ redimitus, in duas quasi volucres desinente apice, sinistrâ cornu copiæ tenens, dextræ digito labris admoto, quasi silentium indicens.

c Epiph. 3 cont. Hær.

Sileo igitur; nec enim opportunior esse potest silendi locus, quàm cum silendum esse, Deus imperat. Non quod hujus picei pueri, (sic Harpocratem Martianus vocat, ob colorem nigrum Ægyptiorum) non quòd, inquam, muti hujusce Dei nutûs aut vana jussa curem, sed nimirùm, ut loquendi, ita tempus esse tacendi. Sapientis ore pronunciat, unus ille, verusque Deus, qui semel æternùm locutus, uno Verbo loquitur omnia. At ego, quàm, multis, quàm pauca dixi, quàm inania, quàm tibi molesta, Palæophile. Neque enim sine tua magna molestia, potuisti me tamdiu, tam imperitè ac insulsè loquentem ferre. Culpam agnosco, præque pudore, sileo.

PAL. At non silebo ipse; sed tuam, nullo non loco ac tempore singularem in me humanitatẽ, eximiáque merita, suavissimè Mystagoge, verbis, literisque, si minùs re potero, prædicabo.

INDEX

INDEX RERUM
ET
VERBORUM,
Quæ in hoc toto volumine continentur

ABEONA Dea 228
Absyrtus Medeæ frater 242
Achelous fluvius 239
Acheron fluvius 197
Achilles Heros 260
Acidalia, Venus 89
Actæon venator 169
Adeona Dea 228
Ἀΐδης, Pluto 200
Adonis puer 100
Adrastæa, Nemesis 158
Adscriptitii Dii 6.231
Æacus Judex inferorum 207
Ægeus Thesei pater 242
Ægina, puella 13
Ægis, clypeus 76.77
Æolus Deus 133
Aër, Juno 75
Æsculapies Medicorum Deus 252
Æson, pater Jasonis 242
Ætas aurea 113
Æneas, Vulcanus 127
Agamemnó, Heros 248
Aganippides, Musæ 155
Agenoria, Dea 228
Agesilaus, Pluto 200
Ajax, Heros 263
Aius Locutius, Deus 229, 230
Albion 238
Alcides Hercules 234
Alcithoe virgo 55
Alcmena, Herculis mater 13. 232
Alecto, furia 205
Alectrio, puer 65
Alma, Ceres 148
Aloeus, Gigas 210
Amalthææ cornu 11
Amazones, Heroinæ 236. 244
Ambarvalia, sacra 150
Ambrosia, sacra 54
Amica, Venus 88
Ammon, Jupiter 16
Amphion, musicus 260
Amphitrite, Dea 185
Andromeda, virgo 250
Angerona, Dea 229 282
Antæus, Gigas 238
Anthia, Juno 72
Antiopa, Regina 13
Anubis 266
Aonides, musæ 154
Apaturia, sacra 54
Apaturia, Venus 88
Apis, Bos Deus 266, 268
Apollo. Deus 23. Ejus Imago 23, Genus 24 Facinora 24. Nomina 28. Fabulæ sensus 33 Res ei sacræ. 33
Aquila, Jovis 10
Arachne, puella 81
Areopagus; Areopagitæ 63
Arethusa, Nympha 180
Argiva, Juno 72
Argonautæ 241

Aria-

Ariadne, puella 243
Arion, muſicus 260
Ἄρης, Mars 63
Ariſtæus Deus 167
Armata Venus 88
Ἄρτεμις, Diana 169
Aſcalaphus, bubo 202 203
Aſcolia ſacra 54
Aſtarte, Venus 88
Aſteria, puella 104
Aſtræa, Dea 157
Atalanta, virgo 95
Athenæ, urbs 77
Ἀθηνᾶ Minerva. Vide, Minerva.
Atlas, mons 257
Atreus 212
Atropos, Parca 204
Atys, puer 142
Averni flumina 197
Averruncus Deus 229
Augias 236
Aurea Mala ib.
Aurora 107

B.

BAcchus 46. Ejus Imago 46. Genus 47. Nomina 49. Geſta 51. Inventa 52. Sacra 53
Bacchanalia 55
Bacchus, Vinum 58
Bacchus, Moſis aut Nemrodi emblema 56
Barbata Venus 88
Battus, lapis 44
Belides, ſorores 211
Bellerophon, Heros 250
Bellona, Dea 62
Belus, Jupiter 16
Belus, Aſſyriorũ Rex 2. 3
Beneficium, Deus 230
Berecynthia, Cybele 140
Bergion 238
Bias, ſapiens Græciæ 32
Biblis, puella 40
Biformis Bacchus 49
Bimetor Bacchus ib.
Bolina, Nympha 27
Bona Dea 140
Bonus Deus 276
Bos, Apis, Deus 266. 268
Briareus, Gigas 209
Brimo, Diana 173
Briſæus, Bacchus 49
Bromius, Bacchus ib.
Bubaſtis Diana 173
Bubona, Dea 182
Bugenes, Bacchus 49
Bunæa, Juno 72
Buſiris, tyrannus 238

C.

CAbiri, Sacerdotes 144
Cacus, latro 128. 129. 238
Cadmus, & quid ſignificet 14
Caduceum 43
Cæculus, Deus 129
Cænis, puella, puer 188
Calendaris, Juno 72
Caliſto Nympha 13
Calliope, Muſa 152
Calor Vitalis 137
Calva Venus 89
Calumnia, Dea 277
Camœnæ, Muſæ, à carmini-

minibus & cantu, ita dictæ 229
Camillus, Mercurius 41
Canephoria sacra 54
Canopus, Deus 190
Capilli, Apollini sacri. 33
Capitolinus Jupiter 16
Caprotina Juno 73
Cardua Dea 219
Carmenta, Dea 157
Carna Dea 227
Castalides, Musæ 155
Cassiope, Regina 250
Castitatis Symbolum Pallas 82
Castor & Pollux 245
Catius, Deus 229
Caunus, castus puer 40
Centauri, monstra 213
Cephalus, vir castus 107
Cerberus, Canis inferorum 198. 237
Ceres, Dea 144. Ejus Imago ib. Ipsius explicatio ib. Genus & Gesta 144. 145
Cham, Jupiter 118
Charon, portitor Inferorum 196
Charybdis, monstrum 193
Chimæra, monstrum 215. 251
Chilo, Sapiens Græciæ 32
Chione, Nympha 174
Chiron, Centaurus 253
Chitone, Diana 173
Chloris, Dea 176
Chrysorrhoas, fluvius 53
Cinxia Juno 224
Circe, venefica 39
Claviger Janus 121
Clausius Janus 123
Clementia, Dea 273
Clio, Musa 153
Clotho, Parca 204
Cluacina Venus 89
Climene, Mater Phaëtontis 37
Clytemnestra, Regina 248
Clytia, virgo 27
Clytoria virgo 13
Cocytus, fluvius Inferorum 198
Collina, Dea 182
Colossus, orbis miraculum 36
Compitalitii ludi 221
Concordia, Dea 274
Consentes Dii 5
Consus Neptunus 135 229
Consualia Sacra 186
Contumelia, Dea 277
Corporis hum. membris affixi Dii 230
Corybantes, Sacerdotes 143
Crœsus, Rex 32
Cunia, Dea 227
Cupido, Deus 98
Curetes, Sacerdotes 143
Curis, Juno 73
Custos, Jupiter 16
Cybele, Dea 138. Ejus Imago 138. Nomina 139. Sacra 142. Sacerdotes 143
Cyclopes, fabri Deorum 25. 128

Cyl-

Cyparissus, puer 26. 163
Cynthius, Apollo 29
Cypris, Venus 89
Cytherea, Venus ib.
Cytheronia, Juno 72
D.
Dædalus, faber 40
Dæmon bonus 49 167
Dæmones, Genii 222
Damnati famosissimi 208
Danaë, auro gravidata 249, 13
Danaides 211
Daphne, virgo laureata 26
Deïaniara, uxor Herculis 239
Delius, Apollo 28
Delphicus, Apollo 29
Delphinius, Apollo 28
Delphinus cœlestis 185
Delus, insula 104
Deucalion 256
Deverra, Dea 225
Diana, Dea Virgo 169
Ejus Nomina 171
Templum Ephesium 36. 226
Dictynna, Diana 173
Didymæus, Apollo 29
Diespiter, Jupiter 17
Dii majorum gentium 5
Dii minorum gentium 6
Dii minuti 7
Dii selecti 5
Dii Semones 7
Dii Inferi 195
Dii Minores 219
Dii Præsides Nascentibus 227
Dii præsides prægnantibus 225
Dii Præsides parturientibus 226
Dindymene, Cybele 140
Dionysius, Bacchus 50
Διόσκυροι, Castor & Pollux 245
Diomedes, tyrannus 236
Discordia, Dea 96. 278
Dithyrambus, Bacchus 50
Dodonæus, Jupiter 17
Domiduca, Juno 73
Domiducus Deus 224
Domitius, Deus ibid.
Dryades, Nymphæ 179
Duellona, Bellona 62
E.
Echo, Nympha 181
Educa, Dea 227
Egæon, Gigas 209
Egeria Juno 73. 226
Eleus & Eleleus, Bacchus 50
Eleusinia, sacra 149
Elicius, Jupiter 17
Elysium 217
Empusæ, Lamiæ 214
Endymion, pastor 172
Ennæi campi 202
Epilenæa sacra 54
Erato, Musa 153
Erebus, Deus 206

Ereſichthon monſtrum 149
Ἐργάτις, Minerva 81
Erichthonius 126.127
Erycina Venus 89
Eteocles 216.217
Evan, Bacchus 50
Euchius, Bacchus ib.
Evius, Bacchus ib.
Europa, puella 14
Eurydice 167 260
Euryſthæus 233

F.

FAbulæ, è ſacris hiſtoriis petitæ 57 58
Fabulinus Deus 228
Fama, Dea 279
Faſcelis, Diana 249
Fatua, Cybele 139
Fatum, quid ſit 204
Fauni, Dii 165
Febris, Dea 281
Februa, Dea 225
Februalis, Juno 73
Februus, Pluto 200
Felicitas, Dea 275
Feretrius, Jupiter 17
Feronia, Dea 177
Feſſonia, Dea 228
Fides Dea 271
Flora, Dea 176.183
Floralia, ludi 176
Florida Juno 72
Fluonia Juno 73
Forculus, Deus 219
Fornax, Dea 183
Fortuna, Dea; ejusque Nomina 279.280
Fraus, Dea 278
Fulmen multiplex 10
Quibus Diis, fulminis vibrandi poteſtas 10
Fulminator, Jupiter 17
Funerum Dii 230
Furiæ Deæ 205
Furor, Deus 278

G.

GAlanthis, ancilla 237
Galaxia, via lactea 41 233
Ganymedes, puer 14
Gemini, aſtra 247
Genii, Dii 222. Figura 223. Sacra 223. Officium. 223
Geryon, Tricorpor, 213. 236
Gigantes 208
Glaucopis, Minerva 82
Glaucus, Deus 189
Gnoſſia Coroea 243
Gorgones, monſtra 214
Gradivus, Mars 64
Gragus, Jupiter 18
Gratiæ, Deæ 99

H.

HÆres Martea 229
Hamadryades, Nymphæ 179
Ham-

Hammon, Jupiter 16
Harmonia, Cadmi uxor 15
Harpyiæ, monstra 214
Harpocrates, Deus silentii 282
Hebe, Junonis filia 70
Hecate, Diana 172
Helena 96
Heliconides, Musæ 154
Helice, sydus 14
Helle 240
Hermæ, Statuæ 45
Hermaphroditus 44
Hermathenæ Statuæ 46
Hermes, Mercurius 42
Hermonie, seu Harmonia 15
Hercules. Ejus ortus 232. Nomina 234. Labores 234
Heroës, Semidei 231
Hesione, virgo 238
Hesperides, Virgines 259
Hesperidum horti 236
Hesperus, Astrologus 258
Himarmene, fatũ 204
Hippomenes, homoleo 95
Hippolytus castus adolescens 245
Hippona, Dea Equorum 182
Homogynus, Jupiter 18
Horor, Deus 271
Honorius, Deus 229
Hoplosmia, Juno 73
Horta, Dea 228
Hortensis Venus 89
Horus, Sol 35
Hospitalis, Jupiter 21
Hostilina, Dea 183
Hyacinthus, puer 26
Hyades, Sydus 257
Hydra 235
Hygiæa 253
Hypsiphile, Regina 241

I.

JAcchus, Bacchus 50
Janus ejusque Imago 119. Nomina & Gesta 120 227
Janus, Emblema prudentiæ 124
Januis Dii præsides 219
Japhet Neptunus, 118
Jason, Heros 240
Icarus 40
Idæa mater, Cybele 141
Idalia, Venus 89
Idololatriæ origo 2
Ignis elementarius & obscœnus 131
Ignis sacer. 136
Ignis, seu Calor vitalis 138
Impudentia, Dea 277
Index lapis 45
Indigetes Dii 6. 231
Inferi Dii 195
Ino, Dea 189
Intercidona, Dea 225
Invidia, Dea 276. 277
Inuus, Pan 159

Jó, puella, vacca 71. 266
Jolaus, puer 235
Jole, puella 240
Iphiclus 233
Iphigenia, virgo 248. 249
Iphis, è puella puer 267
Itis, Nympha. 69
Isis, Dea 266. 267
Isiaci Sacerdotes. 267
Italia, Saturnia 112. 113
Ithis, puer 67. 68
Judices inferni 207
Jugatinus Deus 224
Juga, Juno 74
Juno, ejusque imago 68. Liberi & mores 70. Nomina 72
Juno, Aër. 75
Juno, sua cuique fœmina 76
Juno præses parturientibus 226
Jupiter, ejusque Imago 9. Genus 11. Educatio 11. Facinora 12. Nomina 16. Fabulæ sensus 21
Justitia, Dea 272
Juventus, Dea 228
Ixion, impudicus 211

L.

Labyrinthus 39
Lachesis, Parca 204
Lacinia, Juno 74
Lacturca, Dea 183
Lamiæ, monstra 214
Lamperia, Virgo 38
Lapis, Jupiter 18
Lapideus campus 238
Lararium 222
Lares, Dii 221
Lateranus, Deus 224
Latialis, Jupiter 18
Latium, unde dictum 113
Latona, Dea 24. 104. 226
Laverna, Dea furum 229
Leda Jovi vitiata 13. Est ovipara fœmina 246
Legifera, Ceres 146
Lemnius, Vulcanus 126
Lemoniades Nymphæ 180
Lenæus Bacchus 51
Lethe, fluvius inferorum 217
Levana, Dea 227
Leucosia, Siren. 191
Leucothoë, puella 27
Liber, Bacchus 51
Libertas, Dea 275
Libitina 230
Ligea, Siren. 190
Limentinus, Deus 219
Limnades Nymphæ 180
Locutius Ajus, Deus 229
Lucetius 18
Lucina, Diana 173
Lucina & Lucelia, Juno 74
Luna 171

Lupercus, Pan 159
Lyæus, Bacchus 51
Lycæus, Pan 159
Lycaon, vir-lupus 12
Lycurgus 56
Lyra Apollinis 25
Lysius, Bacchus 51
Lyssa, furia 205

M.

Machâon, Medicus. 253
Maïa, mater Mercurii 41
Mammosa Ceres 147
Manageneta, Dea 226
Manturna Dea 224
Manubiæ, quid. 10
Marina Venus 89
Mars, belli Deus 61 Ejus Imago 61. Genus 62. Nomina 63 Gesta 65. Sacra 67. Sensus fab. de ejus adulterio 65. 66
Martius, Jupiter 19
Marsyas, excuriatus 27
Mater, Cybele 140
Matuta, Dea 225. 183
Mausolæum 36
Maximus, Opt. Jupiter 16
Medea, Venefica 241
Meditrina, Dea 228
Medusa, Gorg. Regina 214. 250
Megæra, Furia 205
Melæna, Ceres 145
Melanis seu Nigra, Venus 90
Meleâger, venator 174
Meliæ, Nymphæ 180
Mellona, Dea 183
Melpomene, Musa 153
Memnon 108
Mena, Dea 225
Mens, Dea 274
Menthe, puella 203
Mercurius 41. Imago & Genus 41. Officia & facultates 41. Gesta 44. Furum & Mercatorum Deus 42. 45
Meretrix, Venus 90
Mestra, puella 188
Metis, Jovis uxor. 78
Midas, Rex asinus 28
Migonitis, Venus 90
Minerva, ejusque Imago 76. Genus 77. Nomina 78. Sapientiæ & Castitatis symbolum 82
Minos, Rex & Judex 207, 242, 243
Minotaurus, monstrum 39
Miracula septem orbis. 35. 36
Misericordia, Dea 273
Mitra, Sol 34
Momus, Deus 134
Moneta, Juno 74
Monstra tartarea 213
Morpheus, Deus 207
Mors, Dea 206
Moses, in Bacchi fabula 57
Mulciber, Vulcanus 126
Murcia, Venus 90

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0364
DFG

Murcia, Dea . 228
Muri Babylonis 36
Musæ 151.152
Muscarius Jupiter 19
Musica, Minerva 82
Mutinus, Deus 224
Myrmidones 207
Myrrha, puella-arbor 92
Mysterii nomen, unde 149

N.

NAjades, Nymphæ 180
Napææ Nymphæ ib.
Narcissus, puer 182
Nascentibus, Dii præsides 227
Nascio, Dea ib.
Nemesis, Dea 157
Nemrod 56
Neptunus, Deus aquarum 184
Nereus, Deus 189
Nereides, Nymphæ 180
Neria, Martis uxor 63
Nessus, Centaurus 239
Nicephorius, Jupiter 19
Niobe, Regina 105
Nisus, Scyllæ pater 193
Nixii Dii 226
Noctua 76, 84
Nodosus, Deus 183
Noë, Saturnus 116
Nomius, Apollo 29
Nox, Dea 206
Numeria, Dea 229
Nundina, Dea 227
Nuptiales Dii 224
Nuptialis, Juno 74
Nyctelius, Bacchus 51
Nyctimene 91
Nymphæ 179
Nysæus, Bacchus 51

O.

OCcator Deus 183
Oceanus, Deus 189
Oceanitides, Nymphæ 180
Oedipus 216
Olea, arbor 33. 77
Olympius, Jupiter 19
Omphale, Regina 240
Operaria, Minerva 81
Opigena, Juno 74
Opis, seu Ops, Diana 173. 227
Opitulus, & Opitulator, Jupiter 19
Ops, Cybele 139
Optimus, Jupiter 16
Orbona, Dea 229
Orcus, Pluto 220
Oreades, & Orestiades Nymphæ 180
Orestes 248
Orion 264. 265
Orpheus 259
Oscilla, imagunculæ 55
Oschophoria, sacra 53
Osiris, Deus 265
Ossilago, Dea 227

P.

PÆan, Apollo 29
Palæmon, Deus 189
Pales, Dea 175
Palilia, sacra ib.
Palladium, simulacrum 79. 85

Pallas, seu Minerva 79
PanDeus pastorum 189
Pandora 127. 128
Paphia, Venus 90
Parcæ 204
Paris 96
Parnassides, Musæ 154
Parthenope, Siren 190
Parthenos, Pallas 74. 80. Juno 74
Parturientium Dii 226
Pasiphaë, Regina 39
Patelina, Dea 183
Patulcius, Janus ib.
Pallor, Deus 281
Paventia, Dea 228
Pavor, Deus 281
Paupertas, Dea ib.
Pax, Dea 274
Pecunia, Dea 276
Pegasus, Equus 250
Pegasides, Musæ 154
Pelops 212
Pellonia, Dea 229
Penates, Dii 220
Penelope 262. 264
Perfecta, Juno 74
Periclymenus 187
Perseus, Heros 249
Pertunda, Dea 225
Pesinuntia, Cybele 141
Petasus, Mercurii Pileus 41
Phædra, noverca Hypolyti 245
Phaëton, Solis filius 37
Phaëtusa 38
Phallus, Priapus 166
Philamon, citharista 174
Phillyra, Nympha 253
Philomedea, Venus 89
Philomela 66
Phlegeton, fluvius Inferorum 198
Phlegyas, damnatus Rex 210
Phœbe, Virgo 38
Phœbus, Apollo 30
Phorcus, seu Phorcys, 186
Phryxus 240
Pierides, Musæ 154
Pietas, Dea 272
Pilumnus, Deus 183
Pirithous 244
Pistor, Jupiter 19
Pleiades, Sidus 258. Pluto 198. Nomina ejusdem 199
Plutus, divitiarum Deus 201
Pluvius, Jupiter 19
Podalyrius, Æsculapii filius 253
Pœna, Dea 230
Pollux, Heros 245
Polymnia, Musæ 153
Polynices 216
Polyphemus, monstrum 129
Polyxena, Priami filia 262
Pomona, Dea 177
Pomum discordiæ 96
Poma aurea 236
Populona, Juno 74
Postverta, Dea 226
Potamides, Nymphæ 188

Poti-

Potina, Dea 227
Prædator, Jupiter 20
Prægnantium Dii 225
Præstites, Genii 223
Priapus, Deus 165. 224
Progne, virgo 66
Prometheus, Heros 254
Pronuba, Juno 75
Propontides, meretrices 92
Prosa, seu Prorsa Dea 226
Proserpina Dea 183. 201. Fabulæ sensus 203.
Protheus 187
Prudentiæ emblema 124. 125
Pudicitia, Dea 273
Pygmalion statuæ amator. 52
Pylades 248
Pylætis, Minerva 82
Pyramus, amator. 93
Pyramides Ægypti 37
Pyrisous Achilles 261
Pyrrha, uxor Deucalionis 256
Pythius, Apollo 30
Pytho, Dea Eloquentiæ 87

Q.

Quies, Dea 228
Quirinus, Jupiter 20
Quirinus, Mars 64
Quiris, hasta ib.

R.

Rectus, Bacchus 51
Regina, Juno 75
Regnator, Jupiter 20
Rhadamantus, Judex Inferorum 207
Rhamnusia, Nemesis 157
Rhea, Cybele 139
Rhodus, insula 35
Risus, Deus 276
Robigus, Deus 183
Rumina, Dea 227
Runcina, Dea 183
Rustici, in ranas mutati 106

S.

Sagittarius, Sidus 254
Salacia, Neptuni uxor 185
Salmacis Nympha 44
Salmoneus, tyrannus 211
Salus, Dea 275
Sapientes septem Græciæ 31
Sapientiæ symbolum, Minerva 82
Saturnus 111. Nomen 114. Genus & Gesta 115.
Saturnus Babylonius 3
Satyri, Dii 164
Scylla, Puella - monstrum 39. 192
Scylla, Virgo - volucris 193
Seïa & Segetia Dea 182
Selecti Dii 5
Semele, Bacchi mater 47
Semidei 231

Semones Dii 7
Sem, Pluto 118
Sentia, Dea 229
Serapis, Deus 268
Servator, Jupiter 20
Silenus, Deus 163
Silentii Deus 282
Sirenes, monstra 190
Sisyphus, in inferis 211
Sol, Apollo 33
Sol, Deus 34. Ejus Genus 34. Nomina 35. Gesta 35. Filii 37
Solon, Sapiens 32
Solvizona, Diana 226
Somnus, Deus 206
Sospita, Juno 75
Spes, Dea 271
Sphinx, monstrum 215
Stata, Dea 229
Statilinus, Deus 228
Stator, Jupiter 20
Sthenio, una de Gorgonibus 214
Stelles, puer 148
Stercutius, Deus 183
Stimula, Dea 228
Strenua Dea ib.
Stymphalides, aves 236
Styx, Palus inferorum 197
Summanus, Pluto 200
Sylvanus, Deus 162
Sylvestres Dii 158
Syrinx, Virgo - arundo 162

T.

TAcita, Dea 282
Talaria, calcei Mercurii 41
Tantalus, in inferis 212
Taurica, Diana 248
Telchines, Sacerdotes 143
Telegonus, Ulyssis filius 263
Tempus, Saturnus 119
Tereus, adulter 66. alatus 67
Terminales lapides, Dii 168
Terminus, Deus ibid
Terpsichore, Musa 153
Terrestres Dii 110
Thales, Sapiens 31
Thalia, Musa 153
Thamyris excœcatus 156
Themis, Dea 156
Theodomas 238
Theseus, Heros 242
Thesinophoria, sacra 150
Thetis, Achillis mater 260
Thisbe 93
Thyestes & Atreus 212
Thyoneus Bacchus 51
Thyrsus, Bacchi hasta 46
Tiphœus, Gigas 209
Tiresias, excæcatus 84
Tisiphone, furia 205
Titan, seu Titanus 112
Titan, Sol dictus, quod à Titane genus duceret 25
Titanes, Gigantes 210
Tithonus, Auroræ maritus 108

Ti-

Tityus, Gigas 210
Tonans, Jupiter 20
Trieterica, sacra 53
Triformis, Diana 170
Trioculus, Jupiter 20
Triptolemus 143
Tripus Apollinis 30
Triton. 188
Tritonia, Pallas 80
Triumphus, Bacchus 51
Trojani belli causa 97
Tutelina, Dea 183
Tyndaridæ, Gemini 246

V.

VAcuna, Dea 228
Vagitanus Deus 227
Vallonia, Dea 182
Vejovis, & Vedius, Jupiter 21
Vellus aureum 241
Venilia 185
Ventorum Deus 133
Venus 85. Ejus Genus. 87. Gesta 91. Nomina 87. Fœda libido est 101
Veritas Dea 274
Verticordia, Venus 91
Vertumnus, Deus 178. 187
Vesta, Dea 135
Vestales Virgines 137
Vibilia, Dea 228
Vinum, Bacchus 58
Virbius, Hippolytus 245
Viriplaca, Dea 225
Virginensis, Dea 224
Virgo, Pallas 83
Virtus, Dea 270, 271
Vitula, Dea 228
Ultor, Jupiter 21
Ulysses 262
Volumnus, Deus 229
Volupia, Dea 229
Unxia, Juno 75
Volusia, Dea 183
Urania, Musa 153
Ursa, Sidus 14
Vulcanus, Deus 126
Vulcanalia, festa 127

X.

XEnius Jupiter 21

Z.

Ζεὺς Jupiter 21

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0369
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1048272257/phys_0374
DFG

rabis, atque fla-
granti
rris incendia portat.

A.

Pausanias u & Plu- u In Att.
descriptionem ele x in Ca-
gy quam hic recitare millo.
Poëtam illum ade- y 4. Æn.
manibus; Est enim
mandetur, & litteris

liud velocius ullum;
que acquirit eundo.
mox sese attollit in
auras,
caput inter nubila
condit.
irritata Deorum
t, Cæo Enceladoque
sororem,
m, & pernicibus alis;
ingens, cui quot sunt
corpore plumæ,
mirabile dictu!
a sonant, tot subrigit
aures.
, terræque per um-
bram
nat lumina somno.
mmi culmine tecti,
magnas territat urbes,
x, quàm nuncia veri.

NA.

r, inquit, q Augusti- z L. 4. de
enit, & ad bonos & Civ. c. 1
ssim in quoslbet in-
rumque prætereat,
S 4 &

Image Engineering Scan Reference Chart TE363 Serial No. 520
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
4.5 5.0 5.6 6.3
the scale towards document
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1048272257/phys_0375
DFG